

Rerum Trevericarum commentationem I

scripsit

G. Schneemann.

Ubi primum duobus tribusve annis abhinc in Trevericis rebus, quales sub Romanis fuerint, penitius pernoscentis operam et studium collocare coepi, aliorum auctoritati quam minime credulum me praebere, sed ad fontes ipsos, ex quibus solis illibatam rerum hominumque cognitionem haurire possem, descendere apud animum meum constitui. Itaque ex illo tempore totus fui in eo, ut et Romani et Graeci generis scriptores, quos quidem huius gentis vel urbis mentionem fecisse noveram, assidua cura perlegerem locosque omnes, qui huc facerent, ad verbum exscriberem, denique, ne quid temere arriperem arreptumque tenerem, sed, quantam fidem scriptorum quisque mereretur, plane perspicerem, in fontes, quibus et quomodo usi essent, sedulo inquirerem. Qua in re me haud vanam operam etiam post Bouquetii et Honthemii lucubrationes suscepturum brevi probe intellexi, sentiens alterum, quippe maiore argumento districtum Treverica neque omnia, neque seorsim, sed per Gallica mistim dedisse, Honthemium vero, nomen his in studiis summo iure celebratissimum, nonnulla omis- sisse, reliqua, non iusto ordine servato, haud raro mutilata minusve emendata repetiisse, Graeca denique hic illic latine protulisse. Sed ego, quum in tantum, quantum exigua biblio- theca et nunquam otiosum otium magistri ferebant, inceptum peregissem, ut via et ratione progrederer, primum *geographica* documenta ex Caesaris, Pomponii Melae, Strabonis, Taciti, Plinii, Claudii Ptolomaei, Ammiani Marcellini, Vibii Sequestri, Geographi Ravennatis scriptis, ex Itinerario Antonini, Notitiis Dignitatum et Provinciarum, Orbis Descriptione, Tabula Peu- tingeriana depromta ab *historicis* testimoniis accurate seiunxi. Deinde, quum res Trevericas inde a primordiis ad id temporis, quo in Francorum potestatem et ditionem urbs pervenit, quinque in partes commode dividi posse intellexissem, etiam in scriptorum locis ordinandis, quibus eas docemur, idem servandum esse putavi. *Primum* enim de veris et priscis Treveris, alieno sanguine nondum mixtis agendum erit, quales quantos eos ex Caesaris, Dionis Cassii, Stra- bonis, Taciti, Lydi libris cognoscere potueris. *Secundo* fraudes et bella persequeris, quibus Caesar VII fere per annos Treveros fatigavit, fatigatos deinde et opibus non animis fractos in ditionem accepit Romanam. Horum auctorem Caesarem habebis ipsum (qui, quamquam auctorum summus a Tacito [G. c. 28] celebratur, tamen, quod Asinius Pollio [Suet. Jul. Caes. c. 56] iam significavit, pro testimonii dictione summa cautione erit admittendus) praeterque eum consules Dionem, Orosium, Ciceronem, Livium epitomatum, Lucanum, Florum, S. Jul. Frontinum. *Tertia* aetas inde ab a. LI ante C. n. ad finem fere saeculi III p. C. constitui posse videtur, per quae tempora nostros initio invitis animis iugum Romanum tulisse ideoque pluries rebelles, ad extremum vero aegre pacatos paulatim in victoris populi mores abiisse ostendent Dio, Strabo, Tacitus, Plinius. *Quarta* vero aetate, initio fere saeculi V finita, Au-

gustam urbem Augustorum maximorumque magistratum commoratione ad summum fastigium evectam docebunt et opera maiora satisque magnifica per id aevum excitata et Flav. Vopiscus, Trebellius Pollio, Sextus Aurelius Victor, Ammianus Marcellinus, Zosimus, Leges, Notitiae Dign. et Provinc. Galliae, Libellus Provinc. Rom., Claudius Mamertinus, Eumenius, Incertus Panegyrici auctor, D. Magnus Ausonius, Sylvius, Socrates, Hermias Sozomenus, Theodoritus, Sulpicii Severus et Alexander, Idatius Lemicensis, Prosper Aquitanus, S. Ambrosius, S. Athanasius, S. Hieronymus, S. Augustinus. *Quinta* denique eaque non solum numero sed etiam genere postrema aetate quae multiplicibus vastationibus ultima L circiter annos Treveri, priusquam imperio Francorum se subiicerent, perpassi sint, satis perspicue tibi dabunt Salvianus Massiliensis, Cassianus, Sidonius Apollinaris, Venantius Fortunatus, Gesta Regum Francorum, Chronicon Adonis, Stemma Genealogicum Regum Franciae, Renatus Frigeridus, Amoinus, Gregorius Turonensis. Scriptorum locis hoc ordine, subiectis annis, quibus singula, quae narrantur, gesta sunt, apte dispositis atque, ubi opus videbatur, breviter explicatis, addidi suo loco et tempore quosque nummos et antiquitus, ut vulgo putatur, republica vere libera, et postea, Romanis imperantibus, in Treveris percussos, addidi item inscriptiones, non eas quidem, quae unquam hac in regione protractae sunt, eam enim operam alii iam viri docti, ut Browerus, Wilthemius, Bertholet, Honthemius, Hüpschius, Steiner et Lerschius praeoccupant, sed eas, in quibus, licet alias repertis (plus minus XXXXV huius generis undelibet iam collegi) vel urbis vel gentis nomen diserte exstat, probe sciens metalla atque saxa scriptis litteris clarius certiusque saepe loqui, multo etiam saepius, ubi chartae silent, in subsidium esse advocanda. Hoc modo et mihi et aliis amplissimam atque, quantum fieri poterat, absolutissimam, certe emendatiorem, auctiorem, commodiorem, quam priores, Treverorum monumentorum collectionem, qua verae variisque commentis purgatae nostrae gentis historiae critica ratione tandem aliquando prospici posset, conficere in animo habebam. Quae *Treverica Romanae aetatis monumenta* e scriniis in lucem si quando prodibunt, prodibunt aucta tabellis, quarum una Imperatores, altera Praetorio Galliarum Praefectos, tertia Vicarios Galliarum, qui quando huius urbis hospitio usi sint, quoad eius fieri poterit, sub oculos ponent, aucta etiam recensione quam plenissima nominum Trevericorum, quaecunque in cuiusvis generis monumentis supersunt. Hac occupatione dum constrictus et implicitus tenebar, abieci quidem mox, quod primo initio ceperam, consilium perpetuam eius temporis Trevericam historiam condendi, gravius enim onus videbatur, quam quod meis humeris infirmus sustinere possem, at una alterave quaestio me advertit, praecipue vero plana faciendi, quae in scriptura et etymo nominis nostri obscuro essent, cupido me cepit, in primario gentis Trevericae statu et conditione haesi, huius urbis origo, incrementum, amplitudo, interitus me tenuerunt, aliaque huiusmodi, quae pro ingenii mei tenuitate aut pluribus persecutus sum, aut rerum contextus causa obiter delibavi. Habes, ne multis morer, huius opusculi, quantulum id cunque est, summam, quod publici iuris dum facio, et aequo animo neque praeiudicatis opinionibus perlegas, etiam atque etiam rogatum te volo.

De Trevericae gentis et urbis nomine.

In ipso libelli huius exordio neque opus actum neque rem prorsus inutilem facturum me putavi, si de nomine nostrorum, quomodo vere scribendum esset, impensiore cura inquirerem et, quantum testimoniis, quae prostant, consequi possem, certius quid constituerem. Variat enim valde monumentis litterarum vocis scriptura. Namque in Caesaris commentariis, Flavii Vopisci, S. Augustini, S. Ambrosii aliorumque scriptis *Treviri* vocantur, qui iidem a Tacito, Plinio, Pomponio Mela, Sulpicio Severo, Salviano Massiliensi semper *Treveri*, in Notitia Dignitatum autem *Triberis*, denique in codice Theodosiano atque in S. Hieronymi libris modo *Treveri*, modo *Treviri* scribuntur. Maior etiam diversitas est in graecis libris. Namque a Strabone dicuntur vel *Τριουάγγοι*, vel *Τριουήγοι*, a Zosimo et S. Athanasio *Τριβέροι*, a Claudio Ptolomaeo *Τριβιροί*, a Dione Cassio *Τριουήγοι*, *Τριουήγοι*, *Τριουήγοι*, *Τριήγοι*, a Lydo (de Mag.) *Τριβροσα*, a graeco Caesaris interprete *Τριβιροί*. Quae tam mira differentia utrum scriptoribus ipsis, quos dixi, sit imputanda, an incuriae vel incitiae eorum, qui eos libros edidere, tribuenda, neque tanti est scire, neque permultis et gravissimis subsidiis omnino destitutus investigare possum. Itaque potius videamus, num id, quod pro genuino habendum sit, ex recepta lectione excuti possit. Honthemius auctoritati Hadriani Valesii (Not. Gall.) nimium tribuens, Ciceronis, qui ex ambiguo verbi *Treviri* iocatur, uno loco inanis, solito inconsideratus *Treviris* sincerum, vetus et incorruptum fuisse populo nomen, unde ceterae formae corruptione quadam ortae essent, opinatur. A cuius opinione plane dissentimus. Nos enim, re diligentius perpensa, sic statuamus et iudicemus, primitivam genuinamque nominis formam esse *Trever*, *Treveri*. Quod quidem ego non solum coniectura fretus pronuncio, sed pluribus et non dubiis argumentis, quae nunc paucis adstringam. Primum enim quivis, puto, concedet vocem *Trever*, in syllabam latinae linguae minus familiarem exeuntem a latine scribentibus facile ob verbi et soni similitudinem in usitatissimum vocabulum *Trevir* mutari potuisse, contrarium autem factum minus esse credibile. Itaque Caesarem, qui princeps hac de gente meminit, ex consueto Romanorum more barbarum nomen ad latini nominis rationem accomodasse, Tacitum autem Pliniumque, hoc in genere diligentiores, ad veram vocis scripturam rediisse contenderim, sed ita rediisse, ut prior (H. III. 35) aequae atque Lucanus (I. 441) singulari numero receptum *Trevir*, loco *Trever*, quod Salvianus habet, retineret. Huic argumento a veri simili petito alterum multo gravius annectam. Litterati enim lapides, testes huius rei integerrimi incorruptissimique, nullam aliam formam, nisi eam, quam nos probamus, exhibent. Legitur enim in iis, quorum inscriptiones Honthemius edidit, I. 6, S. II, 7, neque aliter apud Lehnenium 245 *Trever*; I. 9 ap. Honth. et consimili ratione apud Murat. 1088, 5 et 6 altero casu *Treveri*; I. 7 ap. Honth. *Trevero*, quod eodem modo scriptum exstat in titulo apud Schannat. Eifl. I, 543, porro in lapide memorabili, qui prope Traiana sive Vetera castra effossus nunc in antiquario Notarii Houben ibidem servatur, tum in alio, qui est in Walrafiano Coloniae Agrippinae, denique in milliariis columnis, quas Marcomago repertas Huepschius perhibet; *Treverorum*, vel, extremis litteris demptis, *Trever*. habent apud Honth. I, 4, 3, apud Lehn. 128 et 284, apud Gruterum CXI. 9, CCCCLXXXII. 5, denique apud Steiner. 254. Quin etiam *Trevera*, *Trevera* formas in usu fuisse testantur tituli, quos Honthemius II. 1, Gruterus XIII. 5, Lehnen 293 vulgaverunt, a quo feminino, lexicis inserendo, etiam deducendum est *Treveris*, quod, voce *matribus* adiuncta, in lapide legitur, qui in Bonnensi est museo. Tertius meae causae patronus adiectivum sit, quod a Tacito et Plinio eodemque modo in marmoribus, quae apud Honth. III. 4 et in Suppl. ad Thes. Murat. p. 263. 7 memorantur, sine ulla variatione *Trevericus* neque usquam *Treviricus* scriptum reperitur. Quod titulus III. 1 apud Hüpsch. *Tri-verice* pro *Trevericae* habet, id pariter atque *Trevirorum* apud eundem 46. 1 et 47. 4 in negligentiam vel sculptoris, vel eius, qui titulum exscripsit, conferendum videtur. Denique ad rem, quam agimus, confirmandam tum metallica monumenta, tum linguae, ex latina prognatae adhiberi possint. Namque et in monetis medii aevi ad saeculum usque XIV constanter, quantum scio, *Treveris* legitur, et in altera syllaba vocabulorum *Trèves* et *Treveri*, quibus nomi-

nibus haec urbs a Franco-Gallis et Italis hodieque appellatur, *e* non *i* littera regnum suum adhuc obtinuit. De graecis formis, quas supra enumeravimus, brevius absolvemus. Graeci enim scriptores, digammate iam tum obsoleto et antiquato, qua littera Romanorum *u* sive *v* sua lingua exprimerent, nescii ideoque fluctuantes, ut ceteris in verbis, quibus eadem inest littera, varia excogitarunt. Namque aut extruserunt omnino litteram, ut in *Σαϊόλα* (*Τοιόλοι*), aut loco eius admiserunt nunc *v*, ut in *Ἐβάνδος*, nunc *ov*, ut in *Λοβέντινος* (*Τοβουήνοι*), nunc *β*, ut in *Αββία* (*Τοβέροι*), aut, quod praecipue huc facit, modo *β* modo *ov* in eadem voce substituendo arbitrio suo variaverunt, sic *Veii* a Plutarcho (Poplicola XIII) *Οβίιοι* et (Camill. V) *Βίιοι*, sic *Batavia* a Dione Cassio (LV, 24) et *Βαταβία* et *Βαταβία* scribitur. Idem scriptores graeci pro singulari quadam harum vocalium cognatione in nostra voce vel utrumque *e*, vel alterutrum in *iota*, ut alias hoc in illud (*Νομίτωρ*, *Σηπίων*), corrumpere. Hinc mutuati sunt assumeruntque infimae latinitatis scriptores et *Treoris* et *Triberi*, quorum alterum in Cosmographia Geographi Ravennatis solum, alterum in Not. Dignit. primum usurpatum legitur. His exploratis, iam ad eius vocis, qua nosmet nostra lingua urbem nuncupamus, rationem delatum me video. In qua inquirenda quum veteres libros manu scriptos perscrutandi copia mihi non esset, ex documentis, quae Günther, Honthemius aliique typis exaranda curaverunt, intellexi urbem antiquitus plenius et primitivae appellationi congruentius bisyllabis *Trieren*, *Triere*, *Trere*, *Trire*, *Trierre*, *Trierin*, *Treire*, *Treyre*, *Tryre*, *Triven*, *Trere*, *Treren*, *Treirre* (*Tryer*, *Trier*), ad XV fere saeculum fuisse appellatam, ab ea autem tempestate usu paulatim valuisse, ut per compendii studium nostratibus admodum familiare, detracto inclinamento, ad monosyllabum *Trier* (*Trir*) paulatim abirent. A quo iam saeculo XIV Adiectiva *Trierer*, deinde multo post *Trierischer* et *Trierischer* prognata reperimus.

Iam investigemus oportet, unde nomen ortum gentique inditum sit. Quae quaestio eo est difficilior hac, quam modo absolvimus, quod res coniectura fere sola pendi, neque scientia diiudicari potest. Adhuc de origine vocis tres video propositas esse sententias; unam Diefenbachii (Celtica. I. p. 147), qui a radice verborum Celticorum *tre*, *trés*, *trév*, *trève*, *tréo*, quibus verbis inest vis *habitandi* nostrum quoque nomen derivari posse censet; alteram Zeussii (d. Deutschen u. d. Nachb. pg. 216), qui verbum a *tre*, *tri*, quod Celtica lingua *per* et *gyr*, quod eadem aliquid *viride* significet, esse deducendum ideoque *Tre-viros* proprie (*viridis*) *vallis* esse *incolas* (*Thalbewohner*) putat. At prior sententia ad radicem nos reiecit, quae nullum plane aut parum idoneum sensum, quo populus noster apte designetur, praebet, posterior et loci naturae, quem Treveri inhabitabant, aliena est, et eo maxime displicet, quod vitiosa, id quod modo docuisse mihi videor, nititur vocis scriptura. Ridiculum prorsus et absurdum est, quod Preuschenius in libro, *Denkwürdigkeiten der Revolutionen in Deutschland*, proposuit. Treveros enim, Troiana progenie oriundos, in clipeis pro insigni suam habuisse, suam autem ab antiquis Germanis *Trüe* vocatum indeque nostros *Trüerer*, deinde *Treuerer*, denique *Trevirer* cognominatos contendit¹⁾. Quare quum sententiae in medium adhuc pro-

¹⁾ Ne quid, quod huc pertineat, praeterrittam, addo Schrieckio (Orig. Celt. IV) visum esse Treveros nuncupatos fuisse a Celtico *Truer*, quod motum, suscitationem significaret, iisque nomen ideo fuisse inditum, quod ex patria egressi hasce ad Mosellam valles quasi locum armilustrii et expeditionum suscipiendarum elegerint. — Primas huius opusculi paginas typis exarandas quum iam traditurus essem, ecce in manus mihi venit Leutschii liber, *Gisae* modo in lucem emissus, qui inscribitur *Ueber die Belgen des Julius Cäsar*. Hic vir veteres scriptores, qui de Germania Galliave egerunt, quippe vel omnino spurios vel maximam partem insiticiis locis contaminatos, nobis adhuc esse reliquos vehementer indignatur. Quibus deperditis, futurum fuisse, ut cuique intelligenti liceret primordia utriusque populi pro ratione posteriorum temporum ingenio suo excogitare et constituere. Qua perversa opinione inductus et praepeditus eo temeritatis procedit, ut, quoqueversus obelo saeviens, Tabulam Peutinger., Itin. Antonini, Not. Dign., scriptores Hist. Aug., Dionis Cassii, Valerii Maximi aliorumque libros suppositos atque ab iis viris, qui Caroli M. Academiae erant adscripti, fraudulenter contextos velit, ut innumeros Caesaris, Plinii, Ptolemaei, Taciti, Gregorii Turonensis locos, qui iis, quae ipse mente praecepit, adversantur, delendos libidinose contendat. Inter alia miranda etiam non solum Belgarum genus sed etiam Belgarum nomen, litteris quibusdam immutatis, demtis, deletis, ab Ingaevonum deductum, Germanicum *Weschelbalg* ex *Wachse* Belgier conflatum putat, stirpem quoque nominis Treverorum pg. 43 vel in *Tor-Ac* (*Bater-Lher*), vel in *Tre-Wehr* (*Waldwächter* i. e. silvae Arduennae custodes) quaerendam opinatur. Sed valeant iam istiusmodi nugae et ineptiae.

latae minus satisfaciant, ad aliud, quod sequamur, etymon confugiendum videtur. Radicem satis aptam praebet vetus vox *treff* sive *trew*, quatenus Bretonice significat *foedus*, *induciae* (Dictionnaire de Trevoux s. v.), unde etiam Franco-Gallorum *trève*, atque, quae vocabula medio aevo in usu fuerunt, *trevia*¹⁾ et *treuga* originem traxerunt. Ad hoc igitur vocabulum si quis vocem, cuius stirpem et sensum inquirimus, revocare velit, haud scio, an satis certo coniciat appellatione *Treveri* significari eos, qui *foedere* fuerint inter se *coniuncti*. Hinc continuo apparebit hoc nomine, ut appellatione Suevorum, Cheruscorum, Marcomannorum, Francorum, pro ea consuetudine, quae et Germanis²⁾ et Gallis³⁾ illo tempore erat communis, non unum, sed plures foedere coniunctos populos esse intelligendos. Quare vocabulum *Treveri* nunc et plerumque strictiore sensu principalem populum solum indicasse, nunc latiore ei conterminos, vel foedere adiunctos, vel clientelarum iure adstrictos, simul complexum esse videtur. Concordant igitur secum Caesar (IV. 6) et Dio Cassius (XXXIX. 47), quorum alter Tencheros et Usipetes in Eburonum et Condrusorum, alter in *Τριήρων* fines pervenisse scribit; recteque ipse Caesar⁴⁾, omissis, qui interiacebant, Treverorum clientibus, ex Menapiis confestim in Treviros se venisse scribit. Sed, ne quid negligenter praeteriisse videar, palam fatear necesse est scrupulum mihi quoddam iniici syllaba *er*, in quam vox cadit; quam in Celticiis aut rarissime aut nunquam reperiri probe scio. At quam parum cognita habemus vocabulorum Celticorum, quorum nihil iam, nisi quaedam ruinae nobis sunt reliquae, varia inclinamenta! Sed impeditior haec explicatio est ex illis, in quibus maiore cum fiducia aliena destruas, quam solido fundamento struas et firmiter munias tua.

Quibus pertractatis, age iam diversa nomina, quibus urbs nostra et designata et honestata est, ante oculos ponam. Appellatur ea a Tacito (H. IV. 75), Ammiano Marcellino, Sulpiciis Severo et Alexandro, S. Hieronymo aliisque, porro in legibus ex recepta consuetudine nomine incolarum *Treveri*, in Notitia Dignitatum, quae intra quatuor primos annos saeculi V concinnata videtur, *Triberis*, ab Athanasio et Zosimo *Τριβέροι*, a Tacito (H. IV. 62, 72, 77) *Colonia Treverorum*, a Pomponio Mela, qui et ipse primo p. C. n. saeculo floruit, et a Claudio Ptolemaeo, Hadriano Imperatori aequali, *Augusta (Treverorum)*, *Ἀύγουστα Τριβιρόν*, in Tabula Peutingeriana, ex Mannertii iudicio circa annum 230 p. C. n. confecta, *Aug. Tres. virou.*, ab Ausonio et *Treverica urbs* et *Augusta urbs* et *Augusti muri*, a Salviano Massiliensi *Treverorum urbs*, a Sulpicio Severo *oppidum Treverorum*, in Not. Prov. *Civitas Treverorum*, in Cosmographia Ravennatis *Treoris*, a Socrate I. 35. II. 2, Theodorito I. 31. II. 1 et ab Hermia Sozom. II. 28. III. 11. IV. 9. *Τριβέρις*, in Vet. orb. descr. c. 49. *Τριβήρις*, denique in litteratis lapidibus vel *Augusta Treverorum*, vel *Colonia Augusta Treverorum*, vel *Colonia Augusta*, vel *Colonia Treverorum*. Haec fere nomina sunt, quae in probatis monumentis me legere memini. Ad voces *Treveris*, *Triveris*, *Treviris*, *Triberis*, *Tribiris* quod attinet, hoc statuendum videtur, sequioris aevi scriptores ex frequentissima forma *Treveris* per ignorantiam et eius temporis consuetudinem, quam *Andegavis*, *Turonis*, *Pictavis* apud Gregorium Tur. I. IV testantur, novum, quod diximus, expressisse nomen, quod plerumque in casus non inclinarent. Id in Libello Provinciarum et apud Idatium Lemicensem primum, quantum equidem scio, exstat, media deinde aetate perquam est frequentatum. Hoc addo ex novo substantivo novum etiam adiectivum *Treverensis* vel *Trevirensis* eodem fere tempore esse deductum, quum meliore latinae linguae aetate ad Ausonii tempus, quod supra memoravimus, *Trevericus* solum usque quaque esset in usu. Quare, me iudice, decurtatae formae, ubi adiectivi vicem in inscriptionibus obtinent, ex legitimo *Trevericus* neque ex spurio *Trevirensis*, quod etiam titulis ap. Hont. III. 1, ap. Mur. pg. 263, 7 demonstratur, ubique sunt prognatae. Itaque non audiendus est Lehnen 254 et 293 *Trevirensis* legens, sed, quod suo loco iam ante monuimus, primum est *Trever*, alterum *Trevere* forma haud infrequenti pro *Trevera*. Restat, ut compendiaras notas et sigla, quibus vel gens vel urbs Treverorum

¹⁾ Sanctissime in Normannia observabatur sacramentum pacis, quam *Treviam* vocant. Guil. Pictavensis in Gestis Guil. Nothi Reg. Anglo. pg. 193. Vide Du Fresne s. v. — ²⁾ Ledebur, Das Land und Volk der Bructerer pg. 117. — ³⁾ Caes. I. 31, V. 39, VI. 12. — ⁴⁾ VI. 9. Vide etiam, quae de Sybel de Caesaris loco IV. 9 in libro: *Jahrb. des Ver. von Alterthumsfreunden im Rheinl.* II. pg. 110 egregie annotavit.

significetur, adscribam. En tibi, quae fere reperire potui. In scriptis libris, ut in codice Theod. Trev., Trever. et Trevir., in saxis Tr., Tre., Trev., Treve., Trever., C. Tr., Col. Aug., Aug. Tr., C. Tr., Col. Aug. Tr., vel Tre., vel Trever., C. Aug. Treve.; denique in nummis cuiusque generis et materiae longe frequentissimum est primo elemento alterum adiectum Tr, rarius multo, (quod ab Eckhelio ommissum aliquot monetis, quae in museo nostro servantur, est impressum) tribus litteris Tre urbis nomen inscripserunt. Verum, num etiam nummi, quae A. Wilthemii, Honthemii et Schoepflini est sententia, solitario T insigniti ex Trevericis officinis prodierint, ambigui est iudicii. Prorsus autem incertum est et dubium Vespasiani Aug. existere vel exstitisse unquam nummum cum inscriptione Col. Aug. Pat. Treviror. Fuit enim nescio quis, cuius auctoritatem temere secuti sunt primum et Ortelius (Thes. Geogr. lit. P.) et Valesius (N. G. pg. 58), deinde Neller, tum alii ad hoc usque tempus, qui rei nummariae minus gnarus compendiarie Aug. Tri. Pot. Cos. false acciperet. Vanam planeque falsam habeo etiam nummi cuiusdam apud Goltzium inscriptionem Cohors XXX Trevirorum.

Quae regio intermedia inter Vangiones ¹⁾, Mediomatricos ²⁾, Remos ³⁾, Veromandos ⁴⁾, Condrusos ⁵⁾, Segnos ⁶⁾, Paemanos, Caeraesos ⁷⁾, Eburones ⁸⁾ sita erat, eam, multis fluviiis, Mosella ⁹⁾ praecipue irriguam, longo diversoque montium tractu, quam Arduennam silvam ¹⁰⁾ communi nomine Caesar vocat, asperrimam, fertilissimis convallibus interiectis satis felicem, quo tempore Romani novam hanc terram aperuere, et tenuerunt et incoluerunt Treveri. Quorum agrum qui terminis undique accurate et distincte circumscribere velit, huic mox haerebit aqua. Etenim in orientali quidem parte facile se expediet, quum certissimis Caesaris ¹¹⁾ et

Numeri absolute positi ad Caesaris Commentarios de bello Gallico sunt referendi, T. praefixum habentes ad Taciti libros.

¹⁾ I. 51. Praeter unum Ukertium Reichardus, Hefnerus, Fiedlerus omnesque fere geographi, quorum libros vel tabulas geographicas inspiciendi mihi facultas fuit, sine ulla varietate eam consecuti sunt sententiam, ut Vangiones ab hac parte in Treverorum confiniis collocarent, eo maxime, puto, perducti, quod postero tempore ibi consedis memorantur. Neque ei sententiae, quod offendat, inesse videtur, et tamen esse Caesaris declarat locus (IV. 10), ubi populos ex ordine, quo propter Rhenum iuxta positi erant, enumerans Tribocchos (sic nomen scribendum esse docuit me Duncker Or. G. pg. 107), omissis Vangionibus et Nemetibus, Treveris finitimos dicit. Unde in dubium vocari potest, utrum Caesar et Strabo (IV. pg. 134 ed. Casaub.) Vangiones, quoniam fortasse in Tribocchorum fide essent vel clientela, tectos habuerint, an postea demum, sedibus prioribus permutatis, eam in regionem devenerint; quod Plinius (H. N. IV. 17) inter Vangiones et inter Nemetes medios Tribocchos faciens ex parte confirmat. — ²⁾ IV. 10. T. II. I. 63. IV. 70. — ³⁾ II. 3. V. 3. 24. 53. — ⁴⁾ II. 4. 16 nominat quidem eo in tractu Veromandos, sed, num Treveris fuerint confines, non perspicue apparet. Parum etiam compertum habemus, Nerviorum fines num nostri attingerint. — ⁵⁾ IV. 6. VI. 32. — ⁶⁾ VI. 32. — ⁷⁾ II. 4. — ⁸⁾ IV. 6. VI. 32. — ⁹⁾ Mosellae sive Mosulae nomen a Mosa, Romanis prius cognita, diminutive dictum, vel, quae Scricckii (Ind. Geogr. c. 1) sententia est, ob pronum fluvii cursum a Celticis Mos-hel (limus declivis) derivandum in Caesaris libris non legitur, nisi forte quis cum Cluverio (Germ. Ant. II. 14) consentit, Mosellam, Mosellae pro Mosam, Mosae, refragantibus cunctis codicibus, IV. 9. 15 rescribi iubenti. Quam coniecturam, quamquam H. Müller (Marfen des Vaterlandes I. pg. 43) et Seulio (das Raifeld u. d. Kirche zu Vonnig.) mire placuit, tamen minus ad utrumque locum quadrare ex iis, quae subsequuntur, egregie demonstravit Ledebur in libro, Das Raifeld nicht das Raifeld. Sed certum mihi esse videtur Mosellae fluminis, cuius nomen Florus III. 10. 14 et Tacitus A. XIII. 53. II. IV. 71. 77 primi exhibent, ne mentionem quidem in commentariis fieri, neque, quod nonnullis viris doctis visum est, V. 58, neque VI. 7. 8. Primo enim loco flumen, in cuius vado Indutiomarus interficitur, Mosam esse, quae Treveros a Remis, in quorum confinio Labienus (V. 24) hiemare iussus erat, separabat, manifestant clare eiusdem libri c. 24. 47. 53. 56. 57; altero vero loco alium quemdam eius regionis anmem intelligendum Reichardus in animadversionibus geographicis, quas Herzogii novissimae Caesaris editioni addidit, luculenter probavit. Propria fluminis appellatio quin Celtica lingua *Obelgias* sive *Abelgias* fuerit quem Ptolemaeus et Marcianus Heracleotes terminum utriusque cisrhenanae Germaniae constituunt, praecunte Hadriano Valesio (Not. Gall.), Zeussio (d. Germanen u. d. Raifbarstämme pg. 14) non est dubium. Dubium autem fuit istud Cluvero, Cellario, Schoepflino, Reichardo dubiumque erit cuique, cogitanti Obringam a Ptolemaeo Germaniae inferioris loca enumerante supra Moguntiacum positum esse. Idem vir doctus (pg. 579) ex Olibrionibus, quos Iornandes (De reb. Get. c. 36) in auxilios refert, et Alobritibus sive Alobrogibus, quos Geogr. Rav. in Gallia Belgica memorat, novum nomen *Al-obriges* sive *Al-obringes* audacter conflat eosque ab Obringa i. e. Mosella, quod flumen accoluissent, nomen traxisse parum probabiliter conicit. — ¹⁰⁾ V. 3. VI. 29. 30. 32. Strabo IV. pg. 134. T. A. III. 42. Oros. VI. 10. — ¹¹⁾ III. 14. IV. 10. V. 3.

Dionis¹²⁾ testimoniis demonstratum sit Rhenum ibi constituisse terminum. Sed ceteras regiones versus certi fines vel maxima adhibita cura insigniri nequeunt, praesertim quum magis vel prolati vel coarctati fuisse videantur, prout bellicosi incolae e bellis cum finitimis superiores inferioresve discessissent quoque plures paucioresve circumiacentium populorum in clientelas receperunt. Itaque variis argumentis conici tantummodo potest Treveros, ut natura loci circumquaque continerentur, his limitibus maxime incinctos fuisse, ut altera ex parte vel Mosa flumine, vel montibus prope ab eo fluvio¹³⁾ protensis non solum ab Remis, sed fortasse etiam et inferius ab Veromanduis et superius ab Lingonibus¹⁴⁾ dividerentur, ut tertia ab Vangionibus sive Tribocchis Nava fluvio separarentur, ut quarta Ara amnis Trevericam scinderet; ultra quem Eburones, eorum clientes, agebant, quorum in locum Ubii secundum Rhenum postea cedebant. Reliquis vero spatiis, qua flumina intermittunt, vel ubi consilio ab iis discessum erat, aut montibus collibusve porrectis, aut rivulorum alveis, aut vagis terminis fines populorum, quos modo diximus, videntur attingisse.

De nostrorum *origine* multi viri docti vel ex professo vel per occasionem disquisiverunt variisque argumentis fulti plures in partes diversi abiere. Alii enim, quorum numero Gertzius¹⁵⁾ et H. Mullerus ex Gallis, alii vero, inter quos A. Wilthemius, Honthemius, Schayes, Hetzrodtius, Wyttenbachius, patriae antiquitatis diligentissimus investigator, Radlofius¹⁶⁾ ex Germanis eos ortos esse existimant, Browerus¹⁷⁾, cui fere consentit Schoepflinus¹⁸⁾, inter Germanos quidem eos recensendos esse opinatur, sed qui, lingua, moribus patriis depositis, in Gallorum linguam et mores degeneraverint, Bernhaldi¹⁹⁾ eos mixtum quoddam genus hominum et quasi colluviem Germanorum et Gallorum fuisse putat, Neller²⁰⁾ denique in hac est sententia, ut eos sanguine Germanos, civitatis vero forma et vitae socialis habitu Gallos attingisse arbitretur. Haec vero controversia, quae tam diu obtinuit, nuperrime tandem est direpta et, si quid video, in perpetuum diiudicata. Namque plures praestanti doctrina viri in Celtica gente inquirenda singularem operam nostra aetate simul posuerunt et posuerunt tanta cum laude, ut, via a Niebuhrio²¹⁾ iam quodammodo praemonstrata insistentes, eam gentem non unquam uno nomine insignitam, sed variis obscuratam et latentem pervestigaverint et quasi denuo invenerint²²⁾. Discussis enim tenebris, quae populorum ut rerum initia involvere solent, Celtas in lucem revocarunt eosque propriis nationibus nominibusque discretos per omnes fere Europae regiones, per Gallias, Hispaniam, Britanniam, Helvetiam, Thraciam, per plures Germaniae Italiaeque partes longe lateque dispersos vel ipsos pro se vel alii mistos habitasse, quin etiam interiora Asiae minoris occupata tenuisse tam perspicue demonstrarunt, ut nihil dubitationis relinquerent. Quibus studiis lumen quoddam Treverorum quoque primordiis est praebitum. Cognitum enim nunc habemus pro certo eos *Celtica* origine fuisse atque Gallos itemque Belgas conterminos cognationis ratione contigisse. Utris vero annumerandi sint, ambigi potest. Eos Gallis neque Belgis, consentiente Müllero, Zeussius²³⁾ assignat idque inde demonstratum vult, quod Belgis non annumerantur²⁴⁾, quod, reliquis Belgis contra populum Romanum coniuratis, Caesari auxiliantur²⁵⁾, quod²⁶⁾ Belgae ab extremis Galliae finibus ad *inferiorem* partem fluminis Rheni pertinuisse dicuntur. At primo loco Remi eos, reliquis, ut Ambialitibus, Pleumoxiis, Ambivaritis, Mediomatricis, Leucis, Segnis omissis, solos recensent, qui Belgarum arma moverant, quo numero certa ex causa,

¹²⁾ L. XXXIX. c. 47. — ¹³⁾ Müller l. l. pg. 19. — ¹⁴⁾ VI. 44. — ¹⁵⁾ De prisca Trevirorum lingua. Auctore I. Gertz, Treviro, Presbytero. Goettingae 1772. — ¹⁶⁾ Neue Untersuchungen des Seltenthums. — ¹⁷⁾ Protoparascue Antiq. et Annal. Trev. pg. 25. — ¹⁸⁾ Alsatia illustrata l. pg. 93. 146. — ¹⁹⁾ Sprachfarte von Deutschland. — ²⁰⁾ Iurisprudencia Trev. Ante-Romana §. VI. — ²¹⁾ Röm. G. II. pg. 574, ff. Gif. Schr. I. — ²²⁾ Totam hanc de origine quaestionem, quam explicavimus quam brevissime poteramus, diligentius qui cognoscere velit, adeat libros hosce: De Caumont, Cours d'antiquités monumentales; Radlof, Neue Untersuchungen des Seltenthums; H. Müller, Marken des Vaterlandes; L. Diefenbach, Celtica Th. I. und II.; K. Zeuss, Die Deutschen und die Nachbarstämme; M. W. Duncker, Origines Germanicae; Ukert, Geographie der Griechen und Römer. II. 2. Vehementer doleo, quod Amelyi Thierry, libros, qui inscribuntur *Histoire des Gaulois et Histoire de la Gaule*, pervolvere non potui. — ²³⁾ l. l. pg. 189. — ²⁴⁾ II. 4. — ²⁵⁾ II. 24. — ²⁶⁾ I. 1. —

quam Caesar antea iam allatam²⁵⁾ eo quidem loco praeteriit silentio, non fuerunt Treveri, Romanis societate iam coniuncti. *Inferior* vero Rheni pars iam Caesari, ut postea Augusto, quum Cisrhenanae Germaniae divisionem constitueret, non ab Eburonum neque ab Menapiorum finibus fuit, sed mea sententia aliquanto supra, inter Mogontiacum fere et Noemogam inde ab Germanis Vangionibus vel Tribocchis. Atque praeterea Zeussii opinio certissimis quum aliorum scriptorum, tum ipsius Caesaris testimoniis refellitur. Is enim Matronam et Sequanam, nullo populo ultra hos fluvios degente excepto, Belgas ab Gallis seiunxisse apertis declarat verbis²⁶⁾, idem Remos proximos Galliae ex Belgis ab hac parte fuisse exhibet²⁷⁾, idem Treveros in bellis, quae suscipiebant, cum Belgis²⁸⁾ maxime societatem iniisse, idem eos non Gallicis sed Belgicis populis imperasse²⁹⁾ memoriae mandavit. Praecipue vero obloquuntur viro docto Tacitus³⁰⁾ et Pomponius Mela³¹⁾, quorum alter Treveros Belgarum clarissimos, alter Valentinum Treverum Belgam dicit; quamquam haec argumenta in suam sententiam sed temere vertere conatus est. His rationibus permotus facere non possum, quin Ukertio, Diefenbachio, Thierryo, Hefnerio aurem praebens nostros referam inter Belgas eosque, qui non solum, quod Zeussius³²⁾ arbitratur, per Arduennae silvae in septentriones spectantem declivitatem, sed per omnes huius saltus partes incolentes proprio cognomine *Germanorum* a ceteris consanguineis Belgis disiungebantur. Quae res si cui dubia esset, satis, puto, probaretur cum Strabonis³³⁾ testimonio, hanc Germanicam originem nostris eodem modo atque Nervii vindicantis (quamquam scriptor, quod Duncker³⁴⁾ ostendit, in eo, quod ad Nervos spectat, incuria falsus est), tum Taciti³⁵⁾ nobilissima auctoritate, qui, ut gloria sanguinis a similitudine et inertia Gallorum separarentur, nostros circa affectationem Germanicae originis ultro ambitiosos fuisse scribit, perstringens videlicet eos, qui cognomen genusque suum superbius, quam, ut ipsi videbatur, verius prae se ferentes a Gallis fratribus, servitutis iugum patienter ferentibus se seiungerent. Itaque Treveri, quamquam Celtae a Belgica stirpe prognati, tamen nationis non gentis appellatione praeoptata, Germanorum³⁶⁾ nomine eiusdem cognomenti et sanguinis accolae montanos³⁷⁾, quod modo attigimus, infraque pluribus explicabimus, sub imperio habebant, atque hoc suo nomine ipsi, utpote validissima Germanorum in Belgis gens, magis etiam quam Ubii, quos in suos suorumve clientium fines receperant, et Vangiones, Nemetes et Tribocchi, quos praeter flumen ex parte attingebant, effecisse videntur, ut terra Rhenum adiacens ab Augusto deinde Germania appellaretur. Namque Germaniae nomen minus ex superbia quadam quam ob Germanos, qui cis Rhenum consederant, huic regioni esse inditum, egregiis, quae Dio Cassius³⁷⁾, Suidas³⁸⁾ et Tacitus³⁹⁾ nobis suppeditant, argumentis probatur. Unde autem Belgici Germani Germanorum nomen traxerint, aequae difficile est explicare atque unde in universum hoc nomen natum sit. At, quidquid de vi et origine huius appellationis statuendum est⁴⁰⁾, mihi quidem veri persimile videtur Belgarum fortissimos, quorum numero, Caesare iudice, Treveri eorumque clientes, ambitione quadam ductos, ne quid populo, quocum perpetua bella illis erant, cederent, novum⁴¹⁾ brevique honorificum nomen vel iam ante Caesaris adventum, vel, ut nostri, non ita multo post in se quoque admisisse et, quod de Treveris Tacitus significare videtur, Germanos se quoque pariter atque hostes appellari voluisse. Sed de hac mea coniectura penes intelligentem lectorem iudicium esto. Teneamus hoc, quod dilucide probasse mihi videor, inter Ger-

25) I. 37. — 26) I. 1. — 27) II. 3. — 28) V. 26. 56, VI. 2. VII. 63. — 29) IV. 6. — 30) H. IV. 71. Cuius necessitudinis causa rebelles civitates etiam Floro Trevero Belgas concitandos committunt. T. H. III. 40. — 31) III. 2. Confer etiam Auson. Mos. V. 10. 31. — 32) I. 1. pg. 212. — 33) pg. 194. In quo loco explicando primum ob universam loci conformationem, deinde propter loquendi usum, quo verba καὶ τούτο Γερμανικὸν ἔθνος tantum ad Treveros proxime praecedentes, neque ad Tribocchos, magno intervallo supra nominatos, refert possunt, cum Honthemio facere, quam Ukertii (I. 1. II. 2. 360) rationem sequi malui. — 34) I. 1. pg. 99. — 35) G. c. 28. — 36) Eodem spectat nummi inscriptio GERMANUS INDVTILLH., modo fidem ne deroges Lelewelii (Etudes Numism. I. pg. 247 et 327) nummum Indutiomaro Trevero adtribuendum censenti. Ea autem coniectura temeraria et plane dubia visa iam est Eckhelio (D. N. V. I. pg. 78) et Bohlenio in praefatione libri, die Trierischen Münzen. — 37) II. 4. VI. 2. 32. — 38) S. vv. Κελτοὶ et Ἀρμανοί. — 39) G. c. 2. — 40) Varias diversissimasque vv. dd. de *Germanorum* nomine coniecturas et opiniones dabunt tibi Browerus (Ant. et An. Propar. c. VII) et Ukert (Germanien pg. 200). — 41) T. G. c. 2.

manos Belgicos nostros quoque esse referendos. Iam controversias plerasque, quae inter scriptores de Treverorum genere esse videntur, vel re vera sunt, facili negotio componi posse spero. Etenim quum duae praecipue Celticae propaginis nationes, Galli, Belgae⁴²⁾ interque hos Celtogermani, Galliam incolerent⁴³⁾, Galli autem et hominum multitudine et terrae magnitudine longe superarent primique diuque Romanis noti essent, factum est, ut Caesar pluries⁴⁴⁾, vel insigniore verbo pro propinquo abutens, vel quod Romani Celtas universos uno Gallorum nomine appellare consueverant⁴⁵⁾, Treveros quoque, ut alias Eburones⁴⁶⁾, ut Nervios⁴⁷⁾, ut Belgas omnes⁴⁸⁾, in Gallorum numero poneret. Ad eandem rationem etiam alia, quae contra nostram sententiam pugnare videntur, iudicio adhibito, explicabis, modo memineris Graecos Celtarum, Romanos interdum Gallorum nomine modo et Germanos et Gallos complecti, modo alterutrum populum designare ideoque mirum in modum nomina miscere. Qui scriptores imperitia plerumque lapsi sunt longinquorum populorum, quos interiectis Alpihus seiunctos fando tantummodo audiverant.

Quaestione de Treverorum origine omnibus, puto, numeris absoluta, reliquum est, ut quantum licet, indagemus, unde *profecti* huc venerint. Verumenimvero, quamquam viri docti ea in re consentiunt, ut dicant Treveros et in universum Belgas huius regionis non esse indigenas, tamen de antiquissima eorum patria vehementer discrepant. Communem enim patriam omnium populorum, qui Celticae stirpis fuerunt, Zeussius⁴⁹⁾ eam Galliae partem fuisse opinatur, quam inter Garumnam, Rhodanum, superiorem Rhenum, Matronam, Sequanam et Oceanum positam ab Gallis sive Celtis proprie dictis inhabitatam Caesar⁵⁰⁾ memoriae prodidit. Idque inde confici putat, quod Celticorum populorum, qui alias in terras emigraverunt, multa nomina ibi memorantur. Cuius sententiae paucos meo iudicio reperiet fautores. Namque parum veritati consentaneum videtur ex regione tam arctis finibus circumscripta atque velut mediterranea insula in secretiore terrae parte seposita tot tantaque Celtarum examina, quot quantaque supra memoravimus, quoquoersus evolasse. Accedit, quod antiquissima veterum testimonia de primis Celtarum sedibus, quae Diefenbachius diligenter collegit, in contrariam partem nos avertunt. Exstant enim plura vestigia, quae trans Rhenum et in extrema Europae nos perducunt atque inde Celtas vel omnes vel Belgarum⁵¹⁾ certe plerosque rependentes esse demonstrant. Horum vero numero potissimum fuisse eos, qui Rhenum ab hac parte attingebant, Mediomatricos, Treveros, Eburones, Menapios, censendum videtur. Unde vero transmigraverint, quae causa permoti, utrum agrorum inopia coacti, an dissensione civili expulsi, an circumvagandi cupiditate ducti patriam reliquerint, parum liquet. Fuerunt quidem, qui putarent Treveros primum Oceanum Germanicum accoluisse, ubi Ptolemaeus *Τρηόνας* ad ipsum Albis ostium, quo loco nunc Hamburgium situm est, locat, et ubi haud procul eiusdem nominis vestigia in fluvio, quem *Trave* dicimus, nostris temporibus permanserunt. Cui coniecturae, quae nisi quamdam vocabulorum similitudinem nihil habeat pro fundamento, parum tribuerim. Ut taceam in nomine scribendo libros non concordare, sed unum *Трѣвѣр* habere. Accedit, quod omnem Germaniam in meridiem, haud in septentrionem spectantem

⁴²⁾ De populis, qui, Caesare auctore, (Strabonem [IV. pg. 196] enim omitto nihilque moror, qui, Caesaris loco [II, 4] male intellecto, Belgas XV in populos divisos fuisse perhibet) Belgis annumerandi sint, inter viros, qui his studiis se dedere, minus convenire video. Ex Diefenbachii (I. I. II. 56) enim enumeratione, cui iam Ukert (G. II. 2. pg. 244) praevit, numero fuerunt XXX, quos Thierry ad XXIII restrinxit, VII, ut videtur, ipse enim egregii viri librum his oculis usurpare non potui, VII, quos Belgis ademit, Gallo-Kimris additis. Zeussius (pg. 188) Caesaris locum (II. 4) nimis urgens, neglectis, qui alias memorantur, XVII solos populos in Belgis perperam adnumerat, Segnis, quos Remi non nominant, ex sua auctoritate adiectis. Ceterum non diffitemur, Diefenbachii aliorumque rationem, qui inter genuinas Celticas gentes Belgas referunt, nobis magis placere, quam Ukertii, qui (I. I. II. 2. 210) eos ex indigenis has regiones incolentibus Celtis et Germanis Rhenum antiquitus transgressis concretos et coalitos proprioque nomine Kimros (Cimbern) vocatos fuisse perhibet. — ⁴³⁾ I. I. II. 1. 3. — ⁴⁴⁾ II. 24. V. 3. VI. 7. 8. Idem invenies apud T. A. c. 44. — ⁴⁵⁾ Diodorus V. 25. 32, Appian. Prooem. c. 3. 4. — ⁴⁶⁾ V. 27. VI. 34. — ⁴⁷⁾ V. 41. 45. 49. — ⁴⁸⁾ II. 12. V. 45 et passim. — ⁴⁹⁾ I. I. pg. 185. — ⁵⁰⁾ I. I. — ⁵¹⁾ II. 4. Ammian. Marcel. XV. 9. Quo Ammiani loco, quem ex Timagene sumsit, hoc certe patet Belgas olim, ut adhuc Caesaris tempore Menapii (IV. 4), utrumque Rheni litus accoluisse.

Celtas olim incoluisse vetustissimus testis Posidonius affirmat⁵²⁾. Ad patrium flumen, ad dextram Rheni ripam nostros prisco tempore incoluisse perhibet Crollius⁵³⁾. Eum certe docuisse Treverorum patriam veram fuisse trans Rhenum ad utramque Loganam putat Oberlinus. At quo argumento hoc docuit? Nullo alio, quam quod Loganensis provincia, quae a Rheno ad Giessam usque et Dielenburgium pertinuit, Trevericae Dioecesis olim fuit. Hoc autem pro nihilo habendum, nemo est, quin videat. Sed utut est, fidei non alienum fuerit nostros antiquis sedibus nescio ubi trans Rhenum relictis hanc in terram immigrasse, quam antea Sennones Galli, siquidem sensum ex intricatissimo Lydi⁵⁴⁾ loco recte eruimus, incoluisse videntur. Quo concesso, quum Sennones Celtarum postremi circa annum quadringentesimum ante C. n. Italiam intraverint⁵⁵⁾, nostros circiter eodem tempore huc pervenisse atque Sennonibus expulsis et in interiora Galliae repressis hanc terram cepisse conicere licet.

Una eademque originaria lingua sed procedente tempore pro varia rerum et hominum conditione varie temperata⁵⁶⁾ Celtas cunctos usos esse quum per se patet, tum a Diefenbachio manifeste est demonstratum⁵⁷⁾. Hanc vero peculiarem verba pronuntiandi et flectendi diversitatem, si qua Gallis et Belgis intervenit, haud sane magnam fuisse non solum inde apparet, quod Caesar Gallicae quidem linguae⁵⁸⁾, Belgicae vero, nedum Trevericae, nullibi meminit, sed etiam eo manifestum est, quod Strabo⁵⁹⁾, Aquitanis exceptis, *τοὺς δὲ λοιποὺς*, inquit, *Γαλατικὴν μὲν τὴν ὄψιν, ὁμογλωττίους δὲ πάντας, ἀλλ' ἐπίουσι μικρὸν παραλλάττοντας τὰς γλώττιαις*. Neque Hieronymus huic opinioni adversatur, affirmans *Galatas propriam linguam eandem paene habuisse, quam Treveros*. Quae ergo huius insignis loci vera est sententia? Non alia, quam Galatas propria neque sola Graeca eademque *paene* atque nostrates itaque in universum Celtica lingua usos esse. Dictum satis putem, si addidero Hieronymum Treveros inter omnes Celtas potissimum nominasse sive quod, quum diutius hac in urbe, quam in ulla alia Galliae commoratus esset, eorum sermonem, quam ceterorum Celticorum planius cognoverat, sive quod Galatae a *ferocioribus*, ut ipse ait, *Gal-lis*, unde etiam Treveri, profecti re et veritate cum consanguineis Treveris magis, quam cum ceteris Gallis, linguae proprietatibus congruebant. At vero, si quis erit, qui pristinam Trevericam linguam accuratius indagare et exquirere velit, videat, ne operam et oleum perdat, consimiliter atque Gerzium, quamquam eum neque critica sollertia neque accurata Celticarum linguarum peritia satis instructum ad opus accessisse et perverso suae aetatis studio ad aures omnia in verbis scrutandis et examinandis exigendi omnino seductum fuisse, commentatione, quam de prisca Treverorum lingua edidit, paulo diligentius inspecta, fateare necesse est. Namque quum nomina propria, quae ut sola fere nobis reliqua, ita sola quoque in examen vocari possunt, neque integra existent et pauciora sint, quam quibus certi quid elici possit, quum porro etiam post Schoepflinum eiusque adversarium acerrimum neque raro iniquissimum, Radlofium, post egregias Diefenbachii lucubrationes, post Leichtlenii et Dunckeri disquisitiones, qualis antiquissima Gallis et Belgis fuerit lingua, parum cognitum habeamus, quis non videt, quae dialectus Treverica peculiaria habuerit, quibusque proprietatibus a ceteris, quae eadem ex radice pullulaverunt, distincta fuerit, constitui non posse? Quid? quod haud pauca verba vel ob quandam linguarum affinitatem, vel ob populorum diuturnum commercium, et multifariam commistionem in Celticis et Germanis linguis simul tam alte radices ceperunt, ut in iis inquirendis viri docti, qua stirpe subnata sint, valde ambigant⁶⁰⁾. Maxime vero in confiniis, ubi Celtae et Germani se attingebant, non solum vocabulis et formis invicem adoptatis utrorumque linguam adulteratam, sed etiam ob perpetuum et mutuum pace belloque com-

⁵²⁾ Duncker. I. I. pg. 1. — ⁵³⁾ Not. ad T. II. IV. 37. ed. Bip. — ⁵⁴⁾ De Magistratu I. 50. De hoc memorabili loco quid sentiam, suo tempore apertius dicam. Interea consulo Diefenbachii Celtica II. pg. 102. — ⁵⁵⁾ Duncker. I. I. pg. 22. — ⁵⁶⁾ Ita accipiendum Caesaris locum (I. 1) docet Strabo (IV. 176). — ⁵⁷⁾ Celtica I, porro II. pg. 58. cf. Duncker. I. I. pg. 100, Zeuss. I. I. pg. 189. — ⁵⁸⁾ I. 47. Confer etiam, qui Gallicae linguae mentionem faciunt, Tac. G. 43, Aul. Gell. Noct. At. XI. 7, Diod. Sic. V. 31. Am. Marc. XV. 12, Ael. Lamprid. Al. Sev. LX, Isidor. Hisp. Origg. 14. S. — ⁵⁹⁾ I. I. pg. 190. — ⁶⁰⁾ Quam in rem testem tibi dabo gravissimum Diefenbachium C. II. 171.

mercium morum et victus rationem paulatim immutatam esse patebit⁶¹⁾. Quare non est, quod mireris Galaticam linguam, quam Hieronymus, quod supra memoravimus, Trevericae i. e. Celticae congruisse perhibet, Wernsdorfio⁶²⁾ ad Germanicam propius accedere videri. Haec quidem in praesens sufficiant, alio loco nomina Treverica, quaecumque in libris et lapidibus leguntur, diligentius examinabimus, eaque omnia, exceptis iis, quae latinam originem prae se ferunt, Celticae linguae vestigia exhibere videbimus.

Ut, paucis exceptis, quae regio imperio tenebantur, reliquae omnes per Galliam civitates *republicam* per optimates administrabant⁶³⁾, quos Caesar modo ab honore principes⁶⁴⁾ sive primos⁶⁵⁾, modo ab similitudine cum publico dominae urbis consilio senatores⁶⁶⁾, sive senatum⁶⁷⁾, modo ab amplissimo, quo nati erant loco, nobiles⁶⁸⁾ vocat, ita etiam nostros summam omnium rerum paucis, qui *nobiles*⁶⁹⁾ et *principes*⁷⁰⁾ nuncupantur, permisisse videntur. Quorum unus principatum⁷¹⁾ et imperium⁷²⁾ domi militiaeque in civitate obtinebat sive successionis iure sumtus, sive sponte a civibus in anni tempus, ut apud Aeduos⁷³⁾, creatus, sive auctoritate, opibus, nobilitate, clientelarum multitudine pollens, imperium nactus. Quo iure is, qui summo magistratui apud Treveros praeerat, usus sit, utrum vitae necisque, quemadmodum Vergobretus apud Aeduos⁷⁴⁾, in suos habuerit potestatem, an, quod probabilius est, eadem ratione, qua apud Germanos rex vel regulus summam potestatem, quamquam haud infinitam ac liberam habebat⁷⁵⁾, arctioribus limitibus constitutum imperium, ut Eburonum rex⁷⁶⁾, tenuerit, hoc in medio omnino relinquendum. De quo principatu hac in civitate principes⁷⁷⁾ factionum duarum, in quas pariter atque reliquae civitates pagique et partes in Gallia⁷⁸⁾ omnis divisa erat, eo tempore, quo Caesar his regionibus appropinquabat, acerrime atque infestissime contenderunt⁷⁹⁾. Reliqua vero multitudo⁸⁰⁾ procul dubio non melioris conditionis erat, quam plebs ceteris Galliae in civitatibus, quae in duram nobilium clientelam addicta ac paene servorum loco habitata⁸¹⁾ neque ulli consilio de publicis rebus deliberandis adhibebatur, neque quidquam contra potentiores auxilii, nisi cum patrociniis principum equitumve⁸²⁾, quibus sese addixerat, niteretur, habebat⁸³⁾. Eiusmodi fere et reipublicae et civitatis status apud nostros olim fuisse videtur.

Perpetuis vero bellis, quae cum Germanis trans Rhenum colentibus gerebant⁸⁴⁾, et eos mores induerant, ut, Caesare auctore, non multum cultu et feritate ab adversariis differrent⁸⁵⁾ et eam belli gloriam nacti erant, ut Belgarum, quamvis et hi reliquos Celtas fortitudine praecederent⁸⁶⁾, longe clarissimi haberentur⁸⁷⁾. Hac ratione et suas res auxerant, et, quum praeterea equitatu atque peditatu⁸⁸⁾ praepollerent, ut interioris Galliae Aedui⁸⁹⁾ et Arverni, ita et ipsi Germanorum in Belgis principatum obtinebant. Eburones enim et Condrosos eorum clientes fuisse Caesar summus auctor probat⁹⁰⁾, iis vero addendos esse Segnos ex sedibus, quas inter Eburones ac Treveros tenebant⁹¹⁾, apparet. Caeraesos et Paemanos in eadem clientela atque reliquos Belgo-Germanos populos fuisse tum ex loci, quem habitabant, situ et natura tum ex eo, quod omnium Belgo-Germanorum infirmissimi erant, argui posse videtur. His vero populis, qui Treverorum imperia perferebant, Ambivaritos ex ambigua loci⁹²⁾ coniectura cum Seulio⁹³⁾ equidem non adnumeraverim. Ita non dubito, quin tibi probaverim nostros in Belgicis Germanis, consanguineis suis, principes

⁶¹⁾ Adest etiam Strabo, qui utrosque vitae institutis consimiles fuisse testatur pg. 135 et pg. 200. Quocum Dionem 39. c. 1. componas. — ⁶²⁾ De Rep. Galatarum — ⁶³⁾ Strabo IV. pg. 136. — ⁶⁴⁾ II. 4. V. 6. VII. 4. 28. 31. 32. 64. 89. VIII. 12. 49. — ⁶⁵⁾ II. 3. — ⁶⁶⁾ II. 28. *βουλευται* apud Plut. Caes. c. 20. — ⁶⁷⁾ II. 5. III. 16. 17. V. 54. VII. 32. 33. 55. VIII. 21. 22. — ⁶⁸⁾ I. 31. V. 6. VI. 12. VII. 38. — ⁶⁹⁾ V. 3. *οἱ δὲ βασιλεῖς*. Metaphr. — ⁷⁰⁾ V. 3. 4. *οἱ ἀρχοὶ*. Met. VIII. 25. — ⁷¹⁾ V. 3. — ⁷²⁾ VI. 2. *ἀρχὴ* Met. *principatum atque imperium*, quod VI. 8. coniunctum est, a Met. uno verbo *βασιλευσία* redditur. — ⁷³⁾ VII. 32. — ⁷⁴⁾ I. 16. — ⁷⁵⁾ T. G. 6. Cf. J. Grimm *Deutsche Rechtsaltertümer* I. pg. 277. 327. 330. — ⁷⁶⁾ V. 27. — ⁷⁷⁾ V. 3. 56. — ⁷⁸⁾ VI. 11. VII. 32. — ⁷⁹⁾ V. 3. sqq. — ⁸⁰⁾ V. 3. — ⁸¹⁾ VI. 13. — ⁸²⁾ VI. 15. — ⁸³⁾ VI. 11. — ⁸⁴⁾ VIII. 25. — ⁸⁵⁾ ibidem. — ⁸⁶⁾ I. 1. II. 4. VIII. 54. Plut. Caes. c. XX, Strabo IV. pg. 135. — ⁸⁷⁾ V. 3. Pompon. Mela III. 2. — ⁸⁸⁾ II. 24. V. 3. 47. 57. VI. 7. — ⁸⁹⁾ I. 17. 31. 43. VI. 12. VII. 63. — ⁹⁰⁾ IV. 6. — ⁹¹⁾ VI. 32. — ⁹²⁾ IV. 9. — ⁹³⁾ I. 1. pg. 3. —

existisse, simul si memineris, quod de vi atque potestate, quam nostrae gentis appellatio habere videtur, supra explicavimus.

Quod imperium praeclare comparatum atque equestribus pedestribusque copiis et multis clientelis satis munitum, ut ante una cum reliquis Belgis a Teutonis Cimbrisque defenderant⁹⁴⁾, ita etiam postea, Romanis ingruentibus, consilio et armis tueri studebant. Primo enim tempore, vel finitimorum Celtarum invidia permoti, vel Suevorum metu ducti⁹⁵⁾, vel specioso, quo Romani utebantur, liberandae Galliae titulo decepti, Belgarum primi Romanorum ad amicitiam se applicuerunt iisque auxilio fuere⁹⁶⁾. Deinde vero, quum, magna Galliae parte a Romanis subacta, ipsi iam circumventi tenerentur, patefacto iam Caesaris totam Galliam in Romanam potestatem asserendi consilio, foedus ruperunt, transrhenanos Germanos sollicitarunt, vocati ad Gallorum conventum ire detrectaverunt⁹⁷⁾ neque imperata unquam nisi coacti faciebant⁹⁸⁾. Denique, quum ad arma res rediisset, quamquam civili dissensione debilitati, fortissime tamen resistentes, (*capitales* ideo eos iocando per comparationem vocat Cicero⁹⁹⁾ non prius, quam simulatis consiliis pluribusque proeliis devicti¹⁾ et bello quatuor iam annos durante exhausti, se suaeque in fidem et potestatem populi Romani permiserunt. Atque Caesar, quum Romanorum imperatorum more populi debellati res vel ex suo arbitrio vel ex senatus auctoritate constitueret et hoc pacto terram in provinciae formam redigeret, nostros non continuo in servitute abripuisse, sed in societatem receptis separatam a Romanis rempublicam, suis legibus administrandam, tributis solitis imperatis, concessisse²⁾ videtur. Certe saeculo post et deinceps eos sua in potestate fuisse infra videbimus. Nihilominus tamen tantus amissi principatus, tantus deminutae libertatis dolor iis erat inustus, ut utrumque recuperandi cupidine flagrantem per occasionem vel ipsi suo nomine atque arbitrio soli, vel adiacentibus quoque populis sibi coniunctis pluries rebellarent. Ita continuatione tributorum, gravitate foeneris, saevitia et superbia praesidentium insuper excitati³⁾ patriam oppressam in pristinam libertatem asserere atque Romanos pro acceptis iniuriis ulcisci acerrime conati sunt primum a. 28. a. C. n. contra Augustum arma moventes⁴⁾, tum a. 21 p. C. n. Iulio Floro auctore, adsumtis in belli societatem Aeduis⁵⁾, deinde et animis et opibus in eam rem praecipue a. 71. incubuerunt cum Civili Batavo coniurati, Classico, regio genere oriundo, Iulio Tutore et Tullio Valentino acerrimis belli instinatoribus⁶⁾. Qua re toties frustra suscepta, tandem, quum nobilium plurimi vel interiissent, vel fortunae cedentes apud Germanos aut sponte sua aut vi coacti exularent⁷⁾, reliqui, tot tantisque caedibus defessi, quod avertere et repellere nequiverant, in posterum, ut poterant, aegre quidem sed quiete tulisse videntur. Quam rem nescio an Voelanni vici incolae postea in votivo lapide symbolice significaverint, in quo duo serpentes i. e. genii loci, quamvis obnixae resistentes invicemque sibi opitulantes tamen aquilae i. e. Iovi, victoris populi tutori, cedere et succumbere conspiciuntur⁸⁾. Deinceps vero, sicut, teste Strabone⁹⁾, Celticae gentes facile persuaderi sibi sinebant, ut utiliora amplecterentur atque disciplinae et litteris se traderent, sic nostri, ingeniorum ferocitate paulatim deposita, victoribus placati atque Romanis institutis legibusque assuefacti, quum pro bellicis civilia iam studia amplexi essent,

⁹⁴⁾ II. 4. Strabo IV. 135. 137. — ⁹⁵⁾ I. 37. — ⁹⁶⁾ II. 24. III. 11. — ⁹⁷⁾ V. 2. — ⁹⁸⁾ VIII. 25. — ⁹⁹⁾ Ep. VII. 13. — ¹⁾ V. 58. VI. 8. VIII. 45. Frontinus II. c. 5. 20. — ²⁾ In eorum gratiam, qui, quae Caesar in Gallia instituerit, paucis cognoscere volunt, Dionis (I. 40. c. 43) locum transscribere iuvat: *Καὶ αὐτοὺς (Gallos) ὁ Καῖσαρ, καὶ προσηλαῖς καὶ διαιεῖσσι, χαρμῶν τε ἰσχυρῶσσι, καὶ φόβου ἰσχυρῶσσι, τοὺς μὲν ἰταλίσσασσι, τοὺς δὲ ἡμέροσσι.* Galliae omni Caesarem tributi nomine sestertium *quadringentes* in singulos annos imperasse Suetonius (Caes. c. 25) scribit, cui consentit Eutropius (VI. 17). Quem numerum Lipsius (De magn. Rom. II. c. 3) pro tributis, quae reliquae provinciae conferebant, perexiguum et falsum habens, utrumque scriptorem *quater milles* scripsisse statuit. De cuius coniecturae veritate, cui nihil praesidii Velleii (II. 39) obscurior et plurifariam conclamatus locus praebat, merito erit, quod dubites, praesertim cum VIII. 49 contuleris. — ³⁾ T. An. III. 40. — ⁴⁾ Dio Cassius I. I. c. 20. — ⁵⁾ T. A. III. 40. 42. 44. 46. — ⁶⁾ T. II. IV. 55 sqq. — ⁷⁾ VI. 8. T. II. V. 19. — ⁸⁾ Anaglyphorum, quae lapidi in nostro Museo servato insunt, descriptionem una cum titulo tibi praebet Lerschius, Centralmuseum III. 4, egregiam eorumdem explicationem Düntzerus, *Zeitschrift d. Vereins für Alterthumsfreunde* I. pg. 75. — ⁹⁾ IV. 135. 195. Idem fere Caes. VII. 22.

postremo, moribus, artibus, affinitatibus eorundem, ut cetera Gallia⁹⁾ mixti paulatim in unum quasi corpus cum advenis continua et fide et pace coaluerunt, praesertim, ex quo, ut S. Augustini verbis utar, imperiosa Roma suam linguam domitae genti imposuit^{9b)}.

Sed de gente eiusque conditione pro consilio satis, de *urbe*, quam incolimus, nunc videamus. De cuius origine accuratior disquisitio etiam ex libris eiusdem viri petenda est, qui, ut veterum primus hanc gentem cognovit, ita etiam scriptorum princeps eam nominavit. Quem ducem Eneius, Kyriander, Browerus, Massenius relinquentes, quum vel incomptis vanisque traditionibus plus aequo servirent, vel varia ex ingenio ipsi commenti essent, nihil probati ad hanc rem dederunt. Sed perfectus neque tamen incorruptus rerum suarum pronunciator in commentariis *civitatem* quidem Treverorum¹⁰⁾ memorat deque *finibus* Treverorum¹¹⁾ eadem vi, qua Plinius de *Treverico agro*¹²⁾, meminit, non usquam autem tot locis, quibus huius gentis mentionem facit, oppidum quoddam in Treveris situm nominat. Idem tamen, quem plus octingenta Gallica oppida Plutarchus (c. 15) subegisse scribit, Suesionibus XX¹³⁾, Biturigibus amplius XX¹⁴⁾, fuisse tradit atque ad XXX per Galliam et Belgicam sita nominatim commemorat interque ea Aduatucorum oppidum¹⁵⁾, Agenticum¹⁶⁾, Durocortorum¹⁷⁾, Bibrax¹⁸⁾, a finibus Treverorum procul posita. Quorum oppidorum quae apud Gallos maximae auctoritatis erant, Avaricum, pulcherrimum prope totius Galliae¹⁹⁾, Gergoviam²⁰⁾, Alasiam²¹⁾, *urbium* nomine Caesar honoravit. Cuius ad exemplum Strabo quoque consideratior Dione, qui oppida Gallica nunc *πόλεις* nunc *πόλισματα*, nunc *κίχχ* nunc *χοίχτα* nullo discrimine habito appellat, inter *πόλεις* et *πολίχια* sive *φρούρια* bene distinxit. Facile igitur accesserim Honthemio, Nello, Hetzrodioque, qui nullum oppidum eo iam tempore hic exstitisse statuunt. Quod quo facilius argumentis perspici possit, de causa parumper digrediar oportet. *Civitas*, primam et nativam vim vocis si spectas, complexus et communio est civium i. e., hominum, qui iisdem legibus institutisque coniuncti tenentur²²⁾. Huius vero explicationis, cuius veritas per se patebit, gravissimum auctorem habemus Cicero- nem²³⁾, qui, Concilia, inquit, coetusque hominum iure sociati civitates appellantur. Quibuscum fere ad verbum alius eiusdem scriptoris locus²⁴⁾ congruit; ubi civitatem ab urbe sive oppido etiam distincte discernit. Hanc vero diversitatem non ubique esse observatam satis iam est notum, neque pluribus exemplis id confirmare attinet. Uno loco ex Caesare, cuius usus praecipue respiciendus, deprompto rem conficiam; Gergoviam²⁵⁾ enim et *oppidum* et paulo post *civitatem* nominat. Eius vero abusionis ratio non erit in obscuro. Quum enim quondam unum oppidum cum agro circumiacente saepius ipsum per se rempublicam totam includeret ideoque omnis fere civium multitudo in oppidi incolarum numero subsisteret, factum est, ut ad urbem oppidumve cuiusvis generis designandum vox civitas usurparetur. Quid ergo? Nomen civitatis nomine etiam Treverorum oppidum nuncupari potuit? Potuit, at sententiae meae arcem hac in re minime posui. Firmiora potius mihi argumenta fuerunt, quod scriptor loco prorsus nullo oppidum, sed ubique et constanter civitatem Treverorum memoravit, quod, ubi huius civitatis mentionem fecit, nunquam aliquid indicavit, quod ad oppidi rationem pertineret²⁶⁾, denique quod Strabo, quod Dio Cassius, quod Florus, quod Plutarchus, quod Orosius

⁹⁾ T. A. VI. 24. — ^{9b)} Confer etiam Strabonem IV. pg. 129. Celticam vero orationem nunquam radicitus fuisse evulsam, sed Romanae dominationi in Gallia et Belgicis supervixisse planissime demonstrarunt Dieffenbach, Celtica I, Ukert, Geogr. v. Gr. u. Röm. II. 2. pg. 222, V. Sybel, Jahrb. d. Vereins z. II. pg. 27. — ¹⁰⁾ II. 24. V. 3. VII. 8. VIII. 25. — ¹¹⁾ V. 2. 3. — ¹²⁾ H. N. XI. 109. XVIII. 20. — ¹³⁾ H. 4. — ¹⁴⁾ VII. 15. VIII. 2. — ¹⁵⁾ II. 29. — ¹⁶⁾ VI. 44. — ¹⁷⁾ VI. 44. — ¹⁸⁾ II. 6. — ¹⁹⁾ VII. 15. — ²⁰⁾ VII. 36. 47. — ²¹⁾ VII. 68. — ²²⁾ Unde hoc vocabulo modo et proprie quidem cives ipsi (I. 19. 7. 20. II. 13. VII. 32. 33. 44. VIII. 47) intelliguntur, modo totum, quod cives efficiunt, reipublicae corpus (I. 2. 9. 12. 30. 31, II. 15. 24. 32. 34, III. 8. 10. IV. 3), modo ius, quo civium ratione utuntur (I. 47), denique etiam pro finibus sumitur, sive regione, ubi ius imperiumque cives exercent (I. 31. V. 24. VI. 11. VII. 4. 15. 38. 88. VIII. 5. 24). — ²³⁾ Somn. Scip. 3. — ²⁴⁾ Sext. 42. — ²⁵⁾ VII. 4. Utroque modo etiam Noviodunum est insignitum VII. 55. — ²⁶⁾ Unicus locus, qui repugnare videtur, est VI. 8., ubi Labienus, Treveris proelio fuis, *civitatem recepisse* narratur. Qui locus, ab Orosio (VI. 10) ad verbum fere repetitus, primo aspectu ita accipi potest, ut civitatem pro oppido capias. Sed, universa orationis serie paulo accuratius perpensa, apparebit nihil aliud verbis inesse, quam paucis diebus post pugnam civitatem totam i. e. omnem a Treveris possessam regionem

aliique, qui postea Caesaris res gestas persecuti sunt, pariter oppidum quoddam in Treveris omnino nesciunt. Quibus argumentis accedit, quod dubiis rebus proelio victi non ut Galli²⁷⁾ vel Belgae²⁸⁾ in oppida et castella, sed in silvas impeditiorave loca nostri se abdidisse ubique dicuntur²⁹⁾. Nimirum Treveris, antiquissimum Celtarum morem servantibus et Germanorum ferocitatem etiam hac in re aemulantibus, is animorum habitus fuit, ut, cum armis non muris, quippe servitii munimentis^{29b)}, se tegere viros ad arma natos quam maxime decere putarent, munita loca, oppida dico, omnino fastidirent. Sed erit, qui dicat actam rem me egisse. Namque Dulaurio³⁰⁾, Schayesio³¹⁾ et Beginio³²⁾, viris antiquitatis haud sane imperitis, satis probatum visum nulla plane oppida ad rationem eorum, quibus nos hoc nomen indimus, illo tempore per Galliam exstitisse, sed, quae Caesar oppida appellaret, ea refugia natura arteque munita fuisse, quo indigenae, pacis tempore per agros colentes, bello ingruente, se suosque reciperent. Verum tantum abest, ut in horum virorum opinionem discedam, ut eam ex parte certe falsam esse permultis Caesaris, Dionis, Strabonis locis facile demonstrari posse sciam^{32b)}. Quapropter, quanquam haud sum nescius rem, quam tenemus, esse eam, cuius veritas prorsus ad liquidum explorari nequeat, tamen argumenta, quae modo attuli, universa tantum apud me quidem pondus habent, ut plane nullum mihi sit dubium, quin Treveri eodem pacto, quo Belgarum Eburones, Menapii et Morini³³⁾, quo Celtae Galliam cisalpinam colentes^{33b)}, quo Germani transrhenani³⁴⁾, non oppidatim sed vicatim, non coniunctis inque urbis formam continuatis, sed discretis et dispersis aedificiis habitaverint³⁵⁾. Itaque communi Celtico more³⁶⁾ silvarum fluminumque propinquitates petentes hanc vallem, cuius partem urbs nostra nunc occupat, quae quasi umbilicus in mediis finibus posita esset, frequentissimi incoluisse videntur, ubi campus pro montana regione patentissimus, qui ipsis pecoribusque facile victum praerberet, ubi fluvius nemoribus propinquus, in quibus non solum, quod Caesar tradit³⁷⁾, aestus vitare, sed etiam multum venatibus transigere possent, ubi alia plurima maxime eos et allicerent et tenerent. Atque, qui locus indigenis praecipue placebat, idem non displicuit Romanis. Eam enim loci opportunitatem esse videbant, qua et ob montes circumiectos ab hostibus se suaque defendere, et has dubias ac nutantes nationes etiamsi minus in fide tamen in obedientia ditioneque retinere, et bellum aut illatum defendere, aut ipsi inferre possent³⁸⁾. Quare Caesarem iam, quoties summae imperii bellique

in fidem receptam et sub populi Romani imperium redactam fuisse. Cui explicationi patrocinatur consimilis locus (VII. 90), quo Aeduorum civitas recepta memoratur. Accedunt porro VIII. 27. 31. Cic. Cat. IV. 10. Liv. XXXVI. 18. 19. — ²⁷⁾ III. 12. VI. 4. VIII. 3. — ²⁸⁾ II. 13. 29. — ²⁹⁾ VI. 8. V. 3. In eo testimonio, quod Hetzrodtius (Notices etc. pg. 20.) ex Eum. Pan. III. 20. admovet, aliquid eius rei, quam ambo tuemur, praesidii esse dicerem, nisi loci ambiguitas ea esset, ut plane dubium sit, utrum Treverorum civitas a condita urbe, an a deducta colonia natales numeraverit, an ideo potius hunc diem anno 310 grate celebraverit, quod urbs Constantini munificentia aedificiis vel egregie restauratis vel nove conditis magnificentior et auctior resurgeret. — ^{29b)} T. II. 64. — ³⁰⁾ Mém. de la S. R. II. pg. 82 et 95. — ³¹⁾ Les pays bas avant et durant la domination Romaine I. pg. 89 et 181. — ³²⁾ Histoire des sciences dans le pays Messin pg. 5 sqq. — ^{32b)} Quo in genere non neglegendum est, quod de Caumont (I. I. I. pg. 169 sqq.), studiorum, quae ad antiquitatem pertinent, hoc tempore apud Gallos patronus et signifer, prudenter et recte monet, oppida, quae Caesar in Gallia memorat, modo loca impeditiora esse et munita, quae Gallis ut Britannis (V. 21) ad incursiones hostium vitandas opem dederint, modo sed rarissime loca munitioribus cincta, tectis et aedificiis etiam in pace habitata. Quo numero fuerunt Gergovia, Uxellodunum, Alesia, Avaricum, Genabum. Scilicet cuncti Galli ab initio dispersi incoluisse, deinde vero, ut tutiores ab hostibus essent, maxime qui eorum Provinciam attingebant, ex imitatione domicilia in urbium rationem iam sub Romanorum adventum coniungere coepisse videntur. Vide etiam Ukert. Germanien pg. 204. — ³³⁾ VI. 34. 43. II. 4. IV. 4. III. 9. 28. 29. VI. 6. Dio Cassius I. 39. §. 44. Strabo IV. 195. — ^{33b)} Polyb. II. 17. 18. 19. Strabo I. V. — ³⁴⁾ T. G. c. 36. — ³⁵⁾ Sententiam meam confirmatam video geographica antiquae Galliae, qualis Caesaris aetate fuerit, tabula, quam Hefnerius, Ukertio duce usus, accurate delineatam et descriptam in calce libri (Geographie des Transalpinischen Galliens) nuper edendam curavit. Namque hic vir minime in eum errorem lapsus est, ut praeter auctoritatem scriptoris, cuius res enarratas tabula illustraturus erat, fictum quoddam oppidum nota appicta in finibus Trevericis significaret, multo circumspectius agens Reichardo, qui in mappa Caesaris editioni, quam Herzogius emisit, adiecta multis oppidis, ut Divoduro, Verodunum, Tullo, Confluentia, quorum ne nomina quidem in commentariis leguntur, Galliam temere locupletavit. — ³⁶⁾ VI. 30. — ³⁷⁾ Ibidem. — ³⁸⁾ III. 11. VIII. 52.

administrandi in Treveris ipse praecesset³⁹⁾, vel Labienum certe, eius legatum, cui totum hoc bellum imperiumque plerumque erat permissum⁴⁰⁾, hoc loco saepe diuque consedissee eaque re, habitationibus latius per hunc tractum dispersis in unum coactis, oppidum quoddam, consimili modo atque plurima in agris Decumatibus⁴¹⁾, paulatim initium sumpsisse, a fide, quantum in illis tenebris dispicere licet, non abhorreat.

Cui oppido ab his initiis profecto, deinde civibus mixtis undique ex finitimis frequentato, aliquanto post incrementum attulit *colonia*, praesidium et decus in hac extremitate imperii futura. Attamen, quis coloniam hic constituerit, qui qualesve homines in eam nomina dederint, quo genere quoque iure, utrum civium romanorum, an Latii, an Italico fuerit⁴²⁾, haec aequae incerta sunt atque tempus, quo sit deducta⁴³⁾. Scio equidem nunc vulgo ita doctos etiam homines putare eam esse circa annum u. c. DCCXL collocatam, quo anno, Dione teste⁴⁴⁾, Augustus, cuius sub auspiciis duodeviginti missas Suetonius tradit, apud Gallos biennium continuum agens multas per Galliam et Hispanias constituit. Id vero quominus verum habeam, et alia obstant et id, quod milites apud Tacitum⁴⁵⁾ Treveros externae fidei gentem vocant, externos, quorum fides, quum non sint Romani, dubia sit et incerta. Itaque eo potius inclinatur animus, ut Lipsii sententiam amplexus arbitrer coloniam inter annum XIV p. C., ubi Agrippina nostris salutem suam commissura erat, et annum LXXI, quo anno Tacitus⁴⁶⁾ Treveros iam hoc iure potitos esse exhibet, forsitan Claudio Imperatore, itaque intra annos XXXI et LIV huc fuisse deductam atque in memoriam Augusti *Augustam* cognominatam. Cuius nomen civitati vel concessum vel inditum est, in eius honorem *Augustalium* collegium Treveris fuisse institutum ex inscriptionibus⁴⁷⁾ apparet. Quos Augustales sive Augustalicios primitus sacra Augustalia sive Quinquennialia, Romae et alias curasse⁴⁸⁾, tempore intercedente vero tertium vel potius secundum ordinem, haud secus quam Romae equites, inter decuriones et inter plebem in coloniis et municipiis collocatos fuisse cum pluribus viris doctis putaverim. Oppidum ea re auctum et firmatum, muris⁴⁹⁾ etiam munitum est pontemque flumini superimpositum, qui ulteriorem ripam cum colonia connecteret⁵⁰⁾, accepit.

Sed ignobilis diu quamquam in Belgis opulentissima^{50b)} urbs, quae neque Augusto imperante, ubi omnis Gallia IV in provincias divisa est, ut finitimum Durocortorum, Remorum urbs, praefectis Romani populi hospitium praebuerat⁵¹⁾, neque postea legatis vel praesidibus Belgicae terrae primo et secundo post Christum natum saeculo unquam praebuisse videtur, quaeque circa annum LXX, libertate civium ob iteratam rebellionem imminuta⁵²⁾, damnum aegre reparandum acceperat, deinde, cum Germani cisrhenanas terras incursionibus vastare et novis periculis quotidie imperium Romanum terrere et labefactare non desinerent, in tantam claritudinem pervenit, ut Lugdunum⁵³⁾, nobilissimam ad id temporis totius Galliae urbem, brevi obscuraret. Namque auctoritas, qua postea pollebat, fundata est eo tempore, quo, Germanis a superiore et ab inferiore Rheno continuo irruentibus, primum Maximianus^{53b)} circa a. CCLXXXVII, deinceps ceteri Caesares et Imperatores maxime ab

³⁹⁾ V. 2. 4. VI. 6. VIII. 52. — ⁴⁰⁾ III. 11. VI. 5. 7. 8. VIII. 25. 45. — ⁴¹⁾ C. F. Staelin, *Württembergische Geschichte* I. pg. 90. — ⁴²⁾ Puchta, *Ursprung der Institutionen* pg. 32; Otto, *de Aedilibus Col. et Munic.* pg. 7. — ⁴³⁾ In *Digest.* 50. tit. 15. l. 8, ubi de Censibus agitur, nulla Treverorum coloniae exstat mentio, quamquam Lugdunenses Gallos, Viennenses in Narbonensi, Agrippinenses in Germania inferiore iuris Italici fuisse legimus. Porro in Gallia Nemausum atque Aquitanorum Auscios et Conuenos ius Latii (*Lativior*) sua aetate iam pactos esse testantur Strabo (IV. pg. 129) et Plin. II. III. 5. — ⁴⁴⁾ l. 54. c. 25. — ⁴⁵⁾ An. I. 41. 44. — ⁴⁶⁾ H. IV. 62. 72. — ⁴⁷⁾ Apud Honth. I. 6. vir Augustalis, I. 7. IIIII vir i. e. sevir Augustalis memorantur. — ⁴⁸⁾ Ita quidem visum non fuit Orellio in *Inscr. Coll.* II. pg. 197, aperto Marte secum pugnantem ad *inscr.* 3936. Ceterum Augustales proprium aliquod corpus intermedium inter decuriones et plebem constituisse *inscr.* 3939 apud eundem demonstrat. Inscriptio valde suspecta arae Numinibus Augusti (at perincertum, num Octaviani) in Treveris consecratae legitur apud Stein. 808. — ⁴⁹⁾ T. H. IV. 62. — ⁵⁰⁾ Ita verba *qui ulteriora coloniae annectit* apud T. A. IV. 77. accipienda esse alii iam recte viderunt. — ^{50b)} Pomponius Mela. III. 2. T. H. IV. 72. 74. — ⁵¹⁾ Strabo IV. pg. 134, cui consentit T. H. IV. — ⁵²⁾ Plin. II. N. IV. 31. De quo loco consulere Cellarium (*Not. Orb. ant.* pg. 254) et Valesium in *Not. Gal. s. v.* — ⁵³⁾ Nomen interiecta vocali *u* ex auctoritate Dionis 46. 50. et inscriptionum apud Gruterum exhibui. — ^{53b)} Claud. Mam. Pan. c. 6. Schoepfl. *Als. il.* I. pg. 391.

a. CCCX^{53c}) nullibi fere diutius quam hic commorabantur, unde boreales imperii fines late tuerentur atque hostes vel praesentis exercitus metu terrarent, vel, si qui populabundi Rhenum transgredi ausi essent, opprimerent et repellerent. Per quae tempora etiam plures numero leges hinc, quam ex ipsa Romana urbe prodire⁵⁴), hinc ad Praefectos, Vicarios, Praesides et Rectores in extremas usque terras transmissae. Neque igitur mirum et Maximum a loco, quo sedem fixerat, *Trevericum Imperatorem*⁵⁵) dictum esse, et illustrem hanc urbem, quae, ut Marcellini more dicam, *clarum principum domicilium* erat, a Mamertino *Romanae urbis aemulam*, deinde ab aliis scriptoribus *secundam* sive *alteram Romam* nominari coeptam esse.

Praeterea urbi ad opulentiam amplitudinemque augendam plurimum valebat, quod inde ab Constantino M. cuncti, qui summo imperio et potestate tum in Praefectura Praetorii, tum in Dioecesi, tum in Provincia⁵⁶) erant, stabilem et perpetuam hic constitutam habebant sedem. Igitur amplius centum annos, ad annum fere CCCCVIII⁵⁷) triplici ratione primaria erat urbs et caput, cum in ea et Praefectus Praetorio Galliarum⁵⁸) et Vicarius Galliarum, decem septem Provincias amplectentium, et Praeses⁵⁹) Belgicae primae⁶⁰) considerent. Unde nostrae urbi pariter atque Mediolano, Thessalonicae, Antiochiae, in quibus urbibus tres reliqui Praefecti (*ὑπαρχοὶ*) habitabant, non parum honoris magnificentiaeque accessisse cuique liquet, reputanti universum Imperium Romanum, Constantinopoli et Roma, capitibus, exceptis, quatuor in Praefecturas totidem Praefectorum iurisdictioni et administrationi permissas, fuisse divisum Praefectumque Galliarum non solum Gallias, sed etiam Hispanias et Britannias curasse. Sed praeter eum, qui, ut Salvianus dicit, in summo culmine honorum erat collocatus, praeterque Vicarium et Consularem minorum etiam magistratum complures hic degabant, quorum hi passim, praecipue in Notitia Dign. nominatim recensentur. Princeps, Cornicularius, Adiutor, Commentariensis, Ab Actis, Numerarii, Subadjuvae, Cura Epistolarum, Regerendarius, Exceptores, Adiutores, Singularii *Praefectum Praetorio* in variis, quae eius iuris erant, negotiis exequendis adiuabant. *Officiales Vicario* Galliarum additi erant hi: Princeps de schola Agentum in rebus ex ducenariis, cui, ut alias docemur, adorata clementia principali cum insignibus exeundi ius erat concessum; porro Cornicularius, Numerarii duo, Commentariensis, Ab Actis, Cura Epistolarum, Adiutor, Subadjuvae, Exceptores, Singulares et reliquum Officium (*Ἰεραρχία*). *Consularis* denique huius Provinciae Offi-

^{53c}) Eum. Pan. III. — ⁵⁴) Conferantur Meelbaumii Silva Academica et Nelleri dissertatio de iurisdictione Treverorum sub Romanis. — ⁵⁵) Gregor. Tur. H. Fr. I. 11. 40. — ⁵⁶) A Graecis scriptoribus Praefectura *ὑπερῆ*, Dioecesis *Ἀσισιακή* sive *Ἰαβόλα*, Provincia *Ἐξασία* nominantur. — ⁵⁷) De anno, quo Praetoria Arelatensium urbi sit concessa, auctoritates, quas inspicere licuit, variare video. Honthemius (Prodr. I. pg. 61) enim et Ernestus in libro, qui *L'art de vérifier les dates des faits historiques* inscribitur, hoc iam anno CCCCVII factum esse affirmant. Schoepflinus contra (Als. ill. I. pg. 300) a Constantino tyrannidem occupante Vandalicam maxime ob irruptionem Praeturae Treveris anno CCCCVII ademptam neque deinde, Constantino devicto, redditam atque ne reddi quidem potuisse asseverat. Ex vulgari verum sententia edicto Honorii et Theodosii Augg., quod Honthemius in Hist. Dipl. I. pg. 15 repetit, confirmata res ad annum CCCCVIII reiiicitur. Scilicet publice Treveri eo demum anno, quem edictum sancivit, hanc iacturam fecerunt, sed Praefectos pluribus iam annis ante iteratas propter hostium incursiones identidem hinc recedere, denique Augustam urbem derelinquere coactos fuisse censendum videtur. — ⁵⁸) Suo loco XXX huius dignitatis viros, quorum nomina ab oblivione sola vindicata sunt, recensimus. Ex quibus prae ceteris memoria digni sunt *Ambrosius*, non solum, quia primus, quantum scimus, Treveris hoc magistratu functus est, sed etiam quia S. *Ambrosius* ex eo est natus, porro *Tiberianus* et *T. Fabius Titianus*, viri facundissimi, *Viventius* quinque annos neque tamen continuos Praefecturam obtinens, *Maximinus* ob immanem crudelitatem a Gratiano damnatorio ferro, quae Ammiani verba sunt, iugulatus; *Decius Magnus Ausonius*, poeta, et eius filius successorque *Hesperius*, *Pelronius* denique, quo auctore, quod ex edicto supra laudato manifestum est, Arelas in Augustae Treverorum successit honorem. — ⁵⁹) Qui maioribus et insignioribus CXVI Provinciarum praesidebant, ea aetate ornamenta consularia Imperatorum beneficio habebant ideoque ab nova re nove *Consulares* nominabantur. Cuius generis, quo tempore Notitia Dignitatum est consignata, per totum imperium Romanum XXXVII erant, quorum XXII Provinciis occidentalibus praeerant. Provinciarum XVII, quas Vicarius Galliarum regebat, VI solae, quo numero etiam utraque Belgica erant, a Praesidibus sive Rectoribus inter Consulares adlectis administrabantur. — ⁶⁰) Pro insigni huic Provinciae eadem fere, quae ceteris, mulieris turrita corona redimitae, vas aureis plenum gestantis dimidiata effigies in Not. Dign. est appicta.

cium habebat, ut ceterorum eiusdem dignitatis, Principem de Officio Praefecti Praetorio Galliarum, Cornicularium, Tabularios duos pro Numerario, Adiutorem, Commentariensem, ab Actis, Subadiuvam, Exceptores et reliquos cohortalinos. Memorantur praeterea Praepositi *Sculariorum* et *Ballistariorum* Treverorum, tum *Rationalis summarum Galliarum* ⁶¹⁾, qui fisci ac Imperatoris rationes in Provincia curabat, deinde *Praepositus Thesaurorum Treverorum*, Consulari procul dubio ad pecuniariam rem administrandam adiunctus, denique *Procurator Monetae* (*Münzwarden*), idem, cui loco III virorum monetarium pecuniae signandae cura infimo aevo erat mandata et qui alio nomine *Monetae Trevericae Praeses* in lapidibus ⁶²⁾ appellatur, postremo *Procurator Gynaecii*, alias etiam Gynaeciarius sive Gynaecius, cui *Procurator rei privatae Gynaeciorum Trev.* additus fuisse videtur, ita quidem ut alter sub Magistro Officiorum operis et operibus praeesset, alter Comiti rerum privatarum subditus eiusdem scholae pecuniam administraret; etiam de *Praeposito Barbariciorum* sive *Argentariorum Trev.* mentio fit i. e. eorum, qui barbaricas sive Phrygias vestes variis figuris ex auro et coloratis filis intextas faciebant. Dubitanter subiungam *Praepositum Bastagae primae Gall. et quartae*, sub dispositione Comitis sacrarum largitionum (*Finanzminister*) collocatum, itemque *Rationem rei privatae per Gallias* et *Praepositum Bastagae privatarum Galliarum*, sub dispositione Comitis largitionum privatarum domus divinae (*Verwalter des kaiserlichen Privatvermögens*) positos ⁶³⁾; quibus Bastagis vel iumentis vel plaustris et carris, quo iussum erat, res publicas aut Principis transvehendi munus erat mandatum. Satis reor his apparere maximum magistratum cuiusvis generis et dignitatis numerum iis temporibus Treveris fuisse, quibus et magnam aulicorum catervam et alios plurimos addas, qui vel Imperatorum et procerum lateribus tutelae honorisve gratia adhaerebant, vel eorundem imperio, ut scribae, viatores, accensi, apparitores, cohortalini praesto erant. Cuius multitudinis argumentum sit, quod ⁶⁴⁾ Officium Praefecti Praetorii praeter Scholam (*Schreiber, Rechner und Expectanten*) Officio subiunctam ad CCCCC Officiales complexum esse constat. Adde nunc pro portione, quot alios duos, quos diximus, maiores magistratus circum se habuisse virisimile sit. Qua re simul plurimos diversissimosque opifices, fabros, ministros, postremo genus omne hominum, qui manuum mercede victum quaerunt, undelibet huc allectum confluisse, neminem esse puto, qui non intelligat. Iam magistratus, quos apud auctores meos invenire potui, tibi enumeravi. Verum, nam qui militares viri summorum ordinum collocatum hic domicilium habuerint, recte dubitari potest. Namque et *Notitia* saepius iam laudata, in prodendis nominibus ut loquacissima ita et diligentissima et veracissima, Ducem vel Comitem Belgicae I, ut confinium Provinciarum, nullum exhibet, et Treverici agri ea pars, quae Rhenum adiacebat, quum hostibus maxime esset obnoxia, iam, Augusto iubente, a Belgica disiuncta et cis-rhenanae Germaniae addita fuit. Itaque praesidiarii milites, qui Bodobricam, Confluentes, Antonacum, Rhenana eius tractus oppida vel castella, tuebantur, eadem *Notitia* teste, sub imperio Ducis Mogontiensis erant. Unde simul effici potest tum priore tempore duces bellicos quum postea Magistrum equitum per Gallias, qui summae rerum militarium in his terris praerat, raro aut nunquam hac in urbe, sed potius, quo hostibus, quibuscum infinitum bellum erat susceptum, propiores essent, modo Argentorati, modo Mogontiaci, modo Coloniae Agrippinae, modo Traianis castris vel alio eius regionis loco pro varia temporum rerumque necessitate commoratos esse. Sed tanta, quantam affuisse ostendimus, *illustrium, spectabilium, clarissimorum* (his enim nominibus ornabantur maiores magistratus) virorum frequentia urbs nostra, pro eo ut tempora erant, maxima dignitate et rerum omnium prosperitate fruebatur.

Provinciales vero, ad anteriora tempora si descendimus, vel iam a Galba ⁶⁵⁾, vel

⁶¹⁾ Prope est, ut credam Rationalem eundem esse, quem antea Procuratorem Augusti nominaverint. Cuius Procuratoris memoriam Treverica inscriptio apud Lerschium III. 11 servavit. — ⁶²⁾ Ap. Honth. III. 1. 3. — ⁶³⁾ Not. Dign. Imp. Or. c. 74. Bastagis et cursibus publicis Secundinos, quibus Iglense monumentum est dedicatum, praefuisse W. Wilthemius in *Antiquar. Disquis.* ex anaglyptorum argumentis conicit. — ⁶⁴⁾ Puchta. I. I. pg. 588. — ⁶⁵⁾ Tac. (H. I. 8) et Plut. (Galb. c. 18) Galbam civitatis donum, quod a. 21 p. C. n. rarum adhuc, nec nisi virtutis pretium esset (T. A. III. 40), in omnes Gallos diffusisse scribunt. —

certe ab Antonino Caracalla Imperatore ⁶⁶⁾ civitate, iure cum adventiciis colonis aequato, donati sociique Romanorum appellati ⁶⁷⁾ libertatis specie, quod ex insigni Romani senatus ad senatum Trevericum epistola ⁶⁸⁾ apparet, perpetuo utebantur, paucis tempore excepto ⁶⁹⁾, quo ob iteratam ab Romanis defectionem Vespasiano imperante, eam amiserant. Quin etiam eorum, quod Cerialis ⁷⁰⁾ affirmat, alii legionibus praesidebant, alii hanc aliasve provincias regebant. Atque quo militum genere quondam, quum sui iuris nequedum Romanis obnoxii essent, quemvis populorum Celticorum superaverant, idem militiae munus postea inter Romanos potissimum sustinebant. Namque, ut equites Treveros in antiquis lapidibus passim memoratos ⁷¹⁾ praeteream, Tacitus ⁷²⁾ insignem Treverorum alam laudat eandemque marmor Manhemii in antiquario servatum refert ⁷³⁾. Quae ala ex Treveris conscripta ⁷⁴⁾ in patriis finibus vulgo degisse videtur. Neque tamen minus quam equis, pedibus quoque merebant. Namque pedites *Numeri* vel *Cohortis Treverorum*, legioni VIII Augustae adscriptos, ut minimum, per duodecim annos inde ab anno CCXI p. C. n. ad annum CCXXIII prope Moenum degisse ibique *murum aggeremque* eius munimenta, quod *Wfabtgraben* nominant, vel ad passus solos XCVI, vel totum omnemque restituisse inscriptiones ⁷⁵⁾ apertis verbis declarant. Denique novissimo Romani imperii aevo Lactos, de quibus infra dicendum erit, intra fines Belgicae I colentes duobus sub praefectis longinquius in Tarraconensi Hispania militavisse Notitia, cuius testimonio iam saepe usi sumus, clare ostendit.

Gallicis in civitatibus praeter paucas, quae Italici iuris erant, pro Duumviris ex decurionibus unum, quem a dignitate *Principalem* vocabant, in quindecennium, potestate iurisdictionis exercendae adempta, gubernaculum rerum tractasse curiamque rexisse pluribus legibus de Savigny, vir consultissimus, perspicue demonstravit ⁷⁶⁾. Inter quas civitates, quae inferioris conditionis erant, Trevericam quoque numerandam esse lex supra (pag. 17. N. 43.) laudata indicare videtur. At ei rationi et alia permulta obstant et senatus Romani litterae apud Flav. Vopiscum, quibus Treveros anno CCLXXV liberos fuisse ideoque libere suas res suaque iura administrasse manifesto apparet. Huc accedit, quod Ausonius legum catos, qui reis essent praesidio, inter proceres Trevericos memorat. Quibus perpensis, Italico iure et privilegio, ut curiae praepositi inter suos iurisdictionem haberent, nostram civitatem, initio ut denegatum fuerit, postea nescio quo tempore donatam fuisse facile concedes. Mihi quidem non est dubium, quin pariter atque ceterae coloniae et municipia, quae hoc beneficio utebantur, ad formam et imitationem Romanae reipublicae magistratus et summos et imos, quamquam mutatis plurimum nominibus aliquando habuerint, quin, abrogatis comitiis, per *Decuriones* sive *Curiam*, cuius actibus *II viri* sive *IV viri iuri dicundo*, ex Decurionibus quotannis electi atque consulari fortasse ornatu et praelatis innoxii fascibus honorati praeesent, per *Aediles*, qui annonas ludosque curarent, per duos vel quatuor *Curatores* ⁷⁷⁾ sive *Quinquennales*, qui quinto quoque anno annui creati Censoris et Quaestoris muneribus simul fungerentur, perque alios inferioris generis nostri quoque res suas suo arbitrio administra-

⁶⁶⁾ Dio Cassius LXXVII. 9. Ulpian. L. 17 D. De statu hom. — ⁶⁷⁾ T. H. I. 63. — ⁶⁸⁾ Vopisc. Vita Floriani Aug. — ⁶⁹⁾ Plin. H. IV. 31. — ⁷⁰⁾ Apud Tacitum H. IV. 74. — ⁷¹⁾ Apud Lerschium III. 198. I. 37, Lehnen. 254, Aldenbrueck. pg. 92. — ⁷²⁾ H. II. 14. IV. 18. 55. — ⁷³⁾ Apud Graeffium I. 71. — ⁷⁴⁾ T. A. III. 42. — ⁷⁵⁾ Apud Lehnen. 114, 128 et 284. COH. III. TR., quod Krausius (*Sanauisches Magazin*. 1784. pg. 15. cf. Steiner. N. 256) laterculis et tegulis pluribus prope eundem limitem Romanum repertis impressum invenit, non ad Thraces, sed ad eosdem limitaneos milites natione *Treveros* pertinere putaverim. Item ad Treveros latericias inscriptiones COH. T. C. R. in balneis ad Moeni ripam repertis (Steiner. N. 266) retulerim, putans sigla significare: Cohors Treverorum Civium Romanorum. Aegre etiam nostris marmor eripi patiar, quod nescio quo loco repertum Coloniae Agrippinae olim conspiciebatur. Huius inscriptionem Gruter 571. 7 et Steiner N. 863 ita referunt:

MILES. EX. COH. TRACERVM. ANN. XXIV. STIPENDIOR. XIV. H. S. E.

Mendum insidet voci *Tracerum*, pro quo *Bracarum*, qui Lusitaniae erat populus, ex coniectura Reinesius dedit. Sed nemini adhuc in mentem venisse miror forte hic insculptum vel insculpendum fuisse *Treverum* pro Treverorum. — ⁷⁶⁾ *Geschichte des Römischen Rechts im Mittelalter*. I. pg. 56. — ⁷⁷⁾ Hac voce Quinquennales sive Censores Treveris fuisse insignitos perspicue demonstrat lapis apud Wilthemium L. R. VI. 8. Ceterum de hoc magistratu diligentissime egit de Savigny, *Gesch. des R. R. im Mittelalter*. I. pg. 41.

verint ⁷⁵⁾. Sed haec tam bene constituta rerum administratio, dici vix potest, quantopere inde a Constantino M. imperante sit mutata, quantum magistratuum municipalium numerus ubique locorum non in communem salutem, sed in omnium detrimentum auctus et accumulatus. Legibus enim quum praescriptum esset, ut Curiae nominibus variis varios honores et munera vel potius onera suarum etiam facultatum periculo sustinerent neve ea repudiarent, plerumque ex Principalibus praeter alios hi eligebantur magistratus, *Exactores* et *Susceptores*, qui species i. e. fructus aridos et humidos aliaque vel ordinaria vel extraordinaria tributa possessoribus imperata aut describerent, exigent atque integra, damnum quodvis de suis bonis resarciendo tempore constituto praestarent, aut exacta et illata suscipere et ad scrinia et horrea publica transmittere deberent; *Sacerdotes* et *Flamines* ⁷⁶⁾, qui, quum res sacras initio quidem (religionis curam Praefectus sacrorum primo tempore in coloniis praecipue habuisse videtur) curassent, deinde, ubi Christiana sacra publice recepta erant, festis diebus ⁷⁷⁾ ludos solemnes suo sumtu populo exhiberent. His additi postea, quum Recutorum sive Iudicum vexationes in dies crescerent, *Defensores civitatis* sive *plebis*, in quinos deinde in binos annos plerumque ex Honoratis ^{77b)} a populo inde a medio fere saeculo IV creati, qui, quod leges plures ⁷⁸⁾ sanciverunt, in singulis civitatibus parentis vicem plebi exhiberent, descriptionibus rusticos urbanosque adligi non paterentur, officialium insolentiae et Iudicum procacitati occurrerent, ingrediendi, cum vellent, ad Iudicem liberam habent facultatem, plebem vel decuriones ab omni improborum insolentia et temeritate tuerentur. Christianus deinde cultus tempore intercedente iam inveteratus et corroboratus miseriis afflictis non solum divinae disciplinae beneficio solatium, sed iisdem etiam opem et salutem ferebat eo, quod legibus constitutum est ⁷⁹⁾, ut *episcopus* una cum defensore tutores vel curatores pupillorum crearet atque litigatoribus optio fieret, ad utrum res deferre mallent ⁸⁰⁾.

Absolutis, quae de domesticarum rerum administratione dicenda videbantur, veniamus nunc ad eos viros, qui ingenio et doctrina praecellentes non solum huius civitatis, verum etiam totius orbis per ea tempora lumina et ornamenta fuere. Namque singularis illa et huic tum urbi fere uni concessa est gloria, ut, quamvis continuo armorum strepitu circumsonaret, plurimos tamen haberet, qui ab optimarum artium studiis non abhorescerent, sed insignem satisque felicem iis operam navarent; quorum alii aliunde vel amplissimis praemiis evocati, vel sponte sua huc se contulerunt, alii ex ipsis in hac metropoli Galliarum constitutis rhetorum et grammaticorum graecae latinaeque doctrinae scholis prodierunt. Eiusmodi vero scholas hic exstitisse litterarumque disciplinam nullibi magis tum viguisse, ut alia testimonia, quae Meelbaumius ⁸¹⁾ collegit, praetermittamus, luculentissime edictum a Valente, Valentimano et Gratiano anno CCCLXXVI propositum demonstrat, quo professoribus artium liberalium annua stipendia constituerunt, *Rhetoribus* vero et *Grammaticis latinis graecisque*

⁷⁵⁾ Aedilium Trev. nulla, quantum novi, neque in marmoribus neque in libris exstat mentio. *Decuriones* Treverici, quos vulgarem Centumvirorum numerum excessisse Tacitus (H. IV. 9.) testatur, suo nomine in una inscriptione apud Murat. 1031. 2. exhibentur, a Tacito (H. V. 19) vero, a Fredegario (Chron. IV. c. 7) et identidem in Martyrologiis *senatores* vocantur, a Venantio Fortunato (De Nav.) *senatus*, a Fl. Vopisc. (Florian. c. V.) *curia*. Eisdem etiam in *principibus*, *nobilibus*, *proceribus*, quos Tacitus (H. I. 57. IV. 70), Ven. Fortun. (l. l.), Salvianus (l. l. VI. 13), Ausonius (Mos. 401) memorant, delitescere non iniuria suspicere. *Duumviro*s Trevericos non obscure significant et Ausonius Mos. 404, 405 et lapis his in finibus effossus, cuius inscriptionem refert Hüpschius. — ⁷⁶⁾ *Haruspicum publicorum* Col. Tr. memoriam servat superstes inscriptio apud Lerschium l. l. N. 18. — ⁷⁷⁾ Quorum festorum numero solennia *Vota*, III. Kal. Ian., quo die vota pro salute Principis nuncupabantur, celebrata imprimis erant. — ^{77b)} *Honorati* viri erant, qui summis honoribus (*höhere Reichswürden*) emeritis in provinciis pollebant et Curiales Possessoresque gratia et dignitate antebant. — ⁷⁸⁾ Nov. 15 cap. 1, L. 2 C. De defens. (I, 55), L. 1 C. De defens. — ⁷⁹⁾ Inst. Instit. l. l. tit. XX §. 5, Const. 69, art. VIII. — ⁸⁰⁾ Vide Augustinum Thierryum in libris, *Récits des temps Mérovingiens* I pg. 328 ed. Brux. et *Hist. de la conquête de l'Angleterre par les Normands* I pg. 46; qui hac re Episcoporum saecularem, quae dicitur, potestatem initium sumsisse egregie explicavit. Confer etiam Puchtae l. l. pg. 598. Ceterum cum his, quae de magistratibus eius aetatis quam brevissime protuli, componi pervelim, quae Rüdiger in libro, *De Curialibus Imperii Romani post Constantinum*, copiose et diligenter disputavit. Conferantur praeterea E. Otto., *De Aedilibus Colonialium etc.* pg. 33. 118 sqq., Savigny. l. l. I. pg. 23. — ⁸¹⁾ *Silva Academica*. Cf. Wilthemii *Luxemburgium Rom.* pg. 116.

huius clarissimae civitatis aliquanto majora annonarum emolumenta e fisco eroganda sanciverunt. Viri autem et eloquentiae et doctrinae laudibus pro illa aetate praestantes tum alii hic inclaruerunt, quum *Tiberianus* et *T. Fabius Titianus*, Praefecti Praetorio, quos facundissimos S. Hieronymus in Chronico Eusebiano laudat; porro *Claudius Mamertinus*, qui duos Panegyricos in Maximiani Herculei laudem hic pronuntiavit; deinde *Eumenius* Rhetor, cuius quatuor Panegyrici supersunt, denique *ignotus quidam*, qui duabus orationibus Constantino et ob victoriam de Maxentio et Francis reportatam et ob matrimonium cum Fausta, Maximiani filia, initum, gratatus est. In hoc etiam numero *Ursulus* et *Harmonius*, Grammatici, quos Ausonius ⁸²⁾ memorat, fuerunt, ipseque *Ausonius*, qui quum iam aliquantum temporis Burdigaliae, nam ibi natus erat, litteras docuisset, a Valentiniano I, ut Gratianum filium erudiret, Treveros arcessitus, deinde summis honoribus, Comitatu, Quaestura, Praefectura praetorio Galliarum, Consulatu perfunctus, reliquam aetatem, in patriam reversus, a republica procul habuit, perenni monumento magni sui in alteram patriam amoris eo carmine exacto, in quo, ut Symachus amicus amico poetae scripsit, Mosellam divinis versibus consecravit. Quae litterarum studia quam vehementer id temporis nostra in urbe culta fuerint, documento sit, quod ne incendiis quidem et ruinis urbis prorsus exstincta et obruta sunt, sed in nonnullis, ut in Arbogaste, Treverorum comite, ex Sidonii sententia ⁸³⁾ stylum non minus quam gladium tractante, sermonis pompa Romani resedit. Neque sacrae litterae eodem, de quo agimus, saeculo hic iacuerunt, sed toto pectore, ut dicunt, iis praeter alios S. *Maximinus* et S. *Paulinus*, Trevericae sedis rara vitae sanctimonia praenobiles antistites, se dederunt, quorum prior S. *Athanasium*, quaque virtute et doctrina praestantem fortissimumque verae Christianae fidei propugnatorem, amice excepit, uterque eundem indefesso studio summaque ingenii libertate et copia ab inimicis defenderunt. Hanc quoque patriam urbem, in cuius Praetorio, ut Paulini verbis utar, natus primisque, ut videtur, litteris tinctus fuerat, bis publice S. *Ambrosius* adiit, vir summam ob morum integritatem et litterarum eruditionem in sedem Mediolanensem invitus proventus. Non est igitur, ut mirandum sit, S. *Hieronymum* eiusque familiarem *Bonosum*, iuvenes discendi cupidine flagrantem, hanc in urbem, et eruditissimis hominibus et quovis bonarum artium genere affluentem, potissimum se contulisse.

Sic Augusta Treverorum primariis ex urbibus Gallicis non fuit una, sed, quod demonstravimus, quavis ratione princeps omniumque, quae Salviani verba sunt ⁸⁴⁾, *excellenissima, opulentissima, summa*, quandoquidem nullius prorsus urbium cis Alpes sitarum status erat amplior, fortunatior, beator ⁸⁵⁾. Sed ut omnia humana caduca sunt eaque rerum, quae sub coelo sunt, est natura et conditio, ut nihil in iis firmum sit et perpetuum, ita etiam haec urbs *nobilis nobiliumque caput* ⁸⁶⁾, quae, ut poeta dicit ⁸⁷⁾, imperii vires diu et *ahuerat* et *vestierat* et *armarat*, non constanter in amplo, quem diu obtinuerat, statu mansit, sed ex eo detrusa, cum ipso ab hac parte percusso romano imperio una concidit. Sed quoniam ad hunc locum perventum est, argumenti nostri ratio postulare videtur, ut superiorum temporum memoriam brevi repetamus atque, quam misera rerum hominumque conditio ea aetate per Gallias fuerit, paucis attingamus. Namque ea calamitas nostrates neque subito inopinantes oppressit, neque semel afflixit, sed tempestas, qua miseri periire, diu imminens iam ante illam ipsam aetatem et per illam, qua haec urbs Romae aemula erat, iteratis cladibus primum circumiacentem Galliam prostraverat, deinde etiam ipsi Augustae urbi perniciem attulit. Alemanni enim et Franci iam a medio fere saeculo III aut non multo secus Germanorum primi Rhenum transmissi in Galliam irruerunt ⁸⁸⁾. Deinde, quum Postumus, Victorinus alique imperii occupandi cupidi, civilibus bellis plures annos continuatis Galliam turbarent, hac rerum opportunitate usi multis incursionibus LXX Gallica oppida oppresserunt et diripuerunt. Quae

⁸²⁾ Ep. 18. — ⁸³⁾ Epist. I. IV. — ⁸⁴⁾ De Gub. Dei VI. 8. 13. 14. — ⁸⁵⁾ Zosimus H. III, quocum congruunt Ausonius in numerum *clarissimarum* urbium eam referens et Cassianus, Salviani aequalis, qui (De Incarnatione Domini I, 2) eam *maximam Belgarum urbem* nominat. — ⁸⁶⁾ Venantius Fort. De Navigio. — ⁸⁷⁾ Auson. De claris urbibus. — ⁸⁸⁾ Aurel. Victor. c. 33. Eutropius IX. 7. 8.

Probus quidem, simulac imperio est potitus, maxima proeliorum felicitate recepit parique cum laude rebus ordinandis et agriculturae providit, sed tanta fuit terrarum vastatio, tanta cultorum penuria, ut aliorum Imperatorum exemplum secutus adicitis barbaris *Colonorum* iure et nomine⁹⁰⁾ desertos agros colendos tribuere coactus fuerit⁹¹⁾. Probo verum septimo imperii anno occiso, interna bella a pluribus deinceps incensa denuo eruperunt. Agricola⁹²⁾ malis inde exortis praecipue obnoxii, quum insuper oneribus gravissimis ipsis impositis obruerentur, postremum ad ultimum redacti, affluente multitudine eorum, quos spes praedandi bellandive cupido advocaverat, ut his aerumnis se eriperent, sumtis armis tumultum excitarunt et *Bagaudarum*⁹²⁾ nomine, Aeliano et Amando ducibus, patronorum possessiones, suas iniurias ulturi, omni modo depopulabantur. At iis, ab Maximiano Herculeo anno CCLXXXVII levioribus pugnis fuis et domitis, durius servitium est iniunctum. Neque interea Alemannorum, Francorum et Saxonum irruptiones cessaverunt. Repulit quidem eos Maximianus anno, postquam Bagaudas profligavit, repulit eos decem annis post ad Lingones (Langres) Constantius Chlorus, repulit eos Constantinus M. signis collatis pluries et prospere praecipue vero a. CCCX pugnans, repulit eos etiam a. CCCXL Constans, sed ita repulerunt, ut hostes, quos tandem fractos et devictos credebant, brevi e latebris patriae emergerent Galliamque denuo inundantes certatim ad vastitatem vocarent. Neque modo iam praedam agentes et ferentes eam pervagabantur, verum etiam, ex quo Constantius Imperator eorum opera contra adversarium Magnentium perniciosissimo exemplo usus erat, ibi remanere et considerare animis cogitabant. Quod quidem consilium Iulianus vehementissimis anno CCCLVI ad Argentoratum et sequente anno ad Toxandriam (Ἐπὶ τὸν δὲ το) factis proeliis tribusque vel potius quinque expeditionibus trans Rhenum susceptis diremit⁹³⁾. Eiusdem Imperatoris eximia virtus ad XLV oppida ex ruinis atque cineribus magno opere excitavit restituitque et Galliae omni modo subvenit⁹⁴⁾. Qui postquam in Persis succubuit, Germani, quamquam Valentinianus I, pluribus victoriis reportatis, Rhenum turribus et castellis muniverat⁹⁵⁾, et Gratianus, Valentiniani filius, ad Argentariam (Herburg) eos anno CCCLXXVII vicerat⁹⁶⁾, tamen permagnis exercitiis, quibuscumque ex gentibus potuerant, comparatis, cum Romanis, multiplici contentione districtis, non iam de Gallia sed de imperio imperterriti dimicaverunt. Atque statim post Theodosii M. mortem, quum Stilico Galliae fines spoliasset praesidiis, tandem Honorio Imperatori Galliam, de cuius possessione CL annos fere continuos pugnauerant, fere totam eripuerunt⁹⁷⁾. Namque inde ab anno CCCCVII Quadi, Vandales, Sarmatae, Alani, Gepidae, Heruli, qui populi ab Alpibus irruperant, Saxones, Burgundiones aliique, S. Hieronymo teste⁹⁸⁾, universam Galliam et Belgicam cum caedibus et incendiis iam inulti populati sunt, oppida illustrissima vastaverunt, incolas, qui tot periculis erepti erant, vel patriam solum derelinquere coegerunt, vel in servitium redegerunt. In eiusmodi difficultatibus et miseriis Romani homines tantum aberat, ut, quantum provideri posset, providerent afflictosque indigenas pro viribus sustentarent, ut avaritia ducti novis tributis in perniciem provincialium exaggeratis⁹⁹⁾,

⁹⁰⁾ *Coloni*, (Tributarii, Originarii, Adscriptitii, Inquilini), medii inter liberos et servos collocati (quippe corpore quidem liberi, sed glebis inhaerentes servi) et militiae auctorati rura his colebant conditionibus, ut praeter fructus partem vel eius loco pecuniam ad soli aestimationem constitutam etiam capitationem humanam (Kopffsteuer) quotannis praestarent. Barbari maximeque Germani fuerunt origine, quibus postea indigenae et Romani liberi, qui iugo inquilinae et tributariae sortis vel coacti vel volentes se addixerant, circa Valentiniani I. imperium adiungi coepti sunt. Vide Savigny. Ueber den Römischen Colonat, Zumpt. Ueber die histor. Entwicklung des Colonates. Rhein. Mus. 1843. 1. Muehler. Das Römische Norikum I. pg. 189. — ⁹¹⁾ Zosimus I. 67. 68. Fl. Vopiscus c. 14. 18. — ⁹²⁾ Mam. Pan. I. c. 4. — ⁹³⁾ Eutrop. IX. 20, Aurel. Victor, Mam. Panegy. I. 4. II. 5, Eumenii Grat. Act. c. 4. Radicem vocis, in qua littera g litterae c praeferenda videtur, viri docti vel in Britannico *bagat* sive *bagad* (turba) reperiunt, vel ad eundem dialectus vocabulum *bagat* (rusticus) revocandam putant, vel ex Allobrogico *Gau* (silva), praefixa praepositione *B*, quae *in* significat, repetunt. Utut est, Celticae linguae vocem esse constat nihilque egerunt, qui ex *Alaudarum* legione vocabuli originem extorquendam opinati sunt. Vide Kortüm. Römische Geschichte pg. 409, Dictionnaire universel etc. de Trevoux s. v. — ⁹⁴⁾ Mam. Pan. III. (X.) c. 3. 4, Eutrop. X. 7, Am. Marc. XV. 11. 8. XVI. 12. XVIII. 2. Zos. III. 3. Gibbon. H. c. 22. — ⁹⁵⁾ Zos. III. 1. Am. Marc. XVIII. 2. — ⁹⁶⁾ Am. Marc. XVII. 1. 2. 10. — ⁹⁷⁾ Idem XXXI. 10. — ⁹⁸⁾ Zos. VI. 3. — ⁹⁹⁾ Ep. 11 ad Geront, Prosperi Chronicon pg. 646. — ⁹⁹⁾ Aurelius Victor. c. 39. Am. Marc. XVI. 5. Salv. Mas. 1. l. V. 6. 8. 9. Lac-

quae hostes reliquerant, non publicarum necessitatum sed suae luxuriae explendae causa sibi arriperent, condemnationibus, proscriptionibus, exactionibus perpetuis iniuriisque non ferendis renitentes vexarent¹⁾. Unde mala in immensum aucta. Itaque ruricolae, quum agellis suis exterminati, improbitatibus ludicum et dominorum insolentia praeter modum oppressi tenerentur, seditiones conflare et, domibus relictis, fugitivi usitato Bagaudarum nomine rapinis et praedationibus se suosque alentes tumultus concitarunt²⁾. Hoc pacto, quum, qui rusticorum residui erant, terrae subigendae praecipue in confiniis iam non sufficerent, Imperatores, simul ut exercitus et vires suas novis auxiliis adaugerent, barbaris his conditionibus, ut foederati suisque legibus utentes ipsi filiique militarent atque vel modicum annuum pro portione terrarum, quas acceperant, vel nullum omnino tributum inferrent, incultos agros administrandos concesserunt, quos ab cultoribus *Laeticas* terras dixerunt. Huiusmodi *Laetos* etiam in finibus Treveris *Francos*³⁾ origine fuisse Rhetor, qui Constantio Caesari panegyricum dixit, docet. Fuerit etiam, ut alii barbari praeter Sauromatas sive Sarmatas, quos Hundesruchum incoluisse Ausonius ostendit⁴⁾, bello victi hanc in regionem maxime in Eifliam, quod pluribus argumentis suspicari licet, traducti publicos agros Colonatus iure suscepti⁵⁾ acceperint; fuerit, ut veterani milites honesta missione dimissi, quibus quum alii Imperatores tum Valentinianus I facultatem publicorum agrorum, quos ubique vellent, immunitate perpetua eligendorum dederant, solum Trevericum praeoptaverint. Ita variis temporibus alibi alios advenas incolis huius regionis admixtos et inpersos fuisse mihi quidem persuasissimum est. Converte nunc ad urbanos homines, quorum quam rusticorum per illa turbulenta tempora nihil optatior erat conditio. Sed quantopere tum Curiales, nedum tenuioris ordinis homines, ludicum, Praesidum ceterorumque magistratum iniquitati et direptionibus obnoxii, quantum ubique locorum et oppressi et exhausti, quot quantisque calamitatibus afflicti et penitus extincti fuerint, Ruediger⁶⁾ tam luculenter et copiose exposuit, ut nihil supra addi posse videatur. Neque aliter per Gallias cuncta in ludicum crudele et superbum arbitrium venisse et Salvianus⁷⁾ et haec Mamertini⁸⁾ declarant verba: *Florentissimas antiquissimasque urbes barbari possidebant, Gallorum illa et celebrata nobilitas aut ferro occiderat aut immitibus addicta dominis serviebat. Porro aliae, quas a vastitate barbarica terrarum intervalla distulerant, ludicum nomine a nefariis latronibus obtinebantur, ingenua suberant indignis cruciatibus corpora; nemo ab iniuria liber, nemo intactus a contumelia, nisi qui crudelitatem praedonis pretio mitigasset, ut iam barbari desiderarentur et praeoptaretur a miseris fortuna captivorum.* A quibus iniuriis nimia luxuria et avaritia potentiorum obortis ne hanc quidem urbem intactam et inviolatam mansisse testatur Salvianus⁹⁾. Leges enim perditis illa aetate moribus vel sub ipsis Principum oculis silebant. Atque barbari precibus et votis in summa omnium rerum desperatione toties desiderati, quod miseri optabant, plane praestiterunt. Repulsis enim identidem in interiorem Galliam Romanis, reliquam occuparunt Augustamque Treverorum ceperunt.

tantius, De Mortibus persecutorum c. 33. Savigny, Ueber die röm. Siegesverfassung unter den Kaisern. — ¹⁾ Lactant. I. I. c. 7. — ²⁾ Tiro Chron. c. XII. Salv. Mas. I. I. V. 6. S. — ³⁾ Libellus Notitiae Dign. praeterea et Lingones *Laetos* in Belgica I exhibet et Actos *Laetos* Epusum sive Epoisum (quod Yvoix sive Ipschs, in finibus Luxemburgicis situm, hodie nuncupamus) praesidio tenuisse demonstrat. *Laetorum* (quos praecipue vel solum in Belgicis et Galliis collocatos fuisse rhetor, quem laudavi, I. c. 21, Am. Marc. XVI. 11. XX. 8, Zos. II. 54, Notitia Dign. legesque plures clare ostendunt) nomen, quod Germanicae linguae vix eripi potest, Mannertius (Geogr. III. pg. 692) ex latina minus probabiliter deducit putans incolas ex agris transrhenanis, quos decumates dixerunt, barbarorum incursionibus cedentes, adiunctis sibi Germanis transfugis, qui rei Romanae favabant, cis Rhenum in antiquam patriam *laetos* rediisse indeque nomen invenisse. Meliora contra de vocis origine hominumque statu docuerunt Grimm, *Recht&altertümer* pg. 307; Zeuss, I. I. pg. 580; Wilthemus, *Lux. Rom.* pg. 60; Gibbon I. I. c. 13; A. W. Zumpt I. I.; Sybel *Jahrb. des Ver. von Mitertümsfreunden.* IV. pg. 33. 40 sqq. — ⁴⁾ Mosella V. 9. Zumptio ut de reliquis fere facile assentior, ita dubito, an non recte Sauromatas, quos *Laetorum* neque *Colonorum* iure fuisse usos arbitratur, contra Ausonii auctoritatem in Lingonum finibus collocaverit. — ⁵⁾ Constantium Chlorum barbaros, quos non expulerat neque deleverat, cum coniugiis ac liberis, simul ut servirent et militarent, in Gallia ad agros cultoribus destitutos colendos distribuisse testatur Eum. Pan. II. c. S. 9. 10. 21. — ⁶⁾ I. I. Vide etiam Puchtae I. I. pg. 592. — ⁷⁾ I. I. V. 6. — ⁸⁾ Gratiarum actio c. 4. Confer c. 1 et Orosium VII. 41. — ⁹⁾ I. I. VI. 13.

Namque haec urbs, cui Imperatorum summorumque magistratum commoratio diu praesidio et propugnaculo adversus hostiles impetus fuerat, ita ut, quae Ausonii verba sunt, velut in mediae pacis gremio secura quiesceret, tamen ad extremum, opibus Romanorum corruentibus, et ipsa multiplici expugnatione direpta et profligata corrui. Hoc constat, quibus vero annis qui populi has clades intulerint, inter viros doctos parum convenit. Ceteris vero omnibus potiores apud me auctores Bouquetius et Honthemius sunt, qui primam expugnationem fine saeculi IV, alteram ad summum anno CCCCXII, tertiam et quartam ⁹⁾ circa annum CCCXL omnes fere a Francis factas esse variis argumentis satis probabiliter confecerunt, Salviani testimonio praecipue fulti, qui, oculatus harum stragium testis, vividam horrendarum calamitatum, quas cives perpassi sunt, imaginem depinxit ¹⁰⁾. Urbem quater iam devastatam deinde quinto excidio anno CCCCLI perfunctam esse, quum Attila, Hunnorum rex, Germanias I et II, Belgicas Galliaeque maximam partem igni ferroque vexaret Coloniamque Agrippinam prosterneret, cum pluribus rerum patriarum scriptoribus eo magis existimaverim, quod Aimoini (De rebus Franc. I. 3) testimonio rem comprobata intelligo. Itaque turbulentissimis illis tempestatibus urbs tanquam certaminis praemium inter bellantes populos media interposita dominos saepe mutavit, donec tandem, Aegidio, Romanorum duce, armis superato et expulso, Ripuarii Franci, qui multos annos per Germaniam II et Belgicas victricia arma circumtularent ibique ad Samaram usque conserant, anno CCCCLV vel, ut aliis visum est, CCCCLXIII eam ceperunt, captam sua in potestate ac ditone retinuerunt ¹¹⁾. Sub quorum dominatione funditus paene eversa non in perpetuum deserta iacuit, sed paulatim ex cineribus resurgere coepit. Verumenimvero, quum vix se ex tot tantisque malis recreasset, ultima omnia perpassa est quadragesimo annis post, anno DCCCLXXXII, quo ipsis Nonis Aprilibus Nordmanni per Arduennam Silvam et Eifliam invadentes urbem expugnarunt et, ut dicit Regino, eius infortunii, quod ipse vidit atque sustinuit, scriptor non contemnendus, *omne territorium circumquaque usque ad solum demoliti sunt flammisque civitatem exusserunt* ¹²⁾. At iam fortuna saevire desiit. Praesidio enim et auctoritate Archiepiscoporum per Galliam Belgicam primariorum ¹³⁾ civitas deinde in meliorem et tutiorem statum divinitus est collocata.

Sed de cladibus, quibus e fastigio urbs sit deiecta, haec commemorasse sufficit. Age exploremus, quibus *terminis* olim circumscripta fuerit. Quam rem indagare dum suscipio, nequaquam id mihi sumo, ut antiquissimos urbis muros, quos Tacitus ¹⁴⁾ memorat, investigem, sed, qui vel Constantini M. tempore ¹⁵⁾ vel, quod vero similis duco, ab Iuliano aut Valentiniano I, prolato, ut suspicari licet, ob auctum incolarum numerum pomoerio, excitati sunt, eos, quantum fieri potest, inquirere mihi est in animo. Quos omnibus ex partibus distincte constituere admodum est difficile. Urbem enim ut occidentem versus ad flumen usque pertinuisse indubitabile est ¹⁶⁾, ita etiam ad septentriones ultra hunc murum, quo etiam nunc continetur, non productam fuisse multis certissimisque testimoniis evincitur. Quod primum continuis sepulchris Romanis demonstratur, quae citra suburbium Maar inveniuntur, tum etiam eo manifestum est, quod exadversum his sepulchris dextra egredienti in urbis vicinitate nullae ruinae sub terra latentes adhuc apparuerunt, denique summi in nostram rem momenti est

⁹⁾ Harum eversionum unam Kortuem I. I. pg. 473 in annum CCCXXXVII contulit. Renatus Frigeridus apud Greg. Tur. II. 9 Treverorum civitatem a Francis secunda irruptione direptam incensamque esse sed anno omisso scribit. — ¹⁰⁾ I. I. VI. 8. 15. — ¹¹⁾ Gesta Regum Francorum, Stemma Gen. Reg. Franc., Chronicon Adonis. — ¹²⁾ Qua de re Reginoni Gesta Trevirorum c. XLIII, Fuldenses et Vedastini Annales atque Hincmarus Remensis adstipulantur. — ¹³⁾ Vide Annal. Fuld. ad a. 863, Bullas P. P. Iohannis XIII, Benedicti VII aliorumque in Guentheri Codice Dipl. I. 51. 58. 100. 115. 165, Nelleri vel potius Theodori de Steinhäusen dissertationem de S. Eccl. Tr. Prim. insertam Nelleri Opusculis II. pg. 347. — ¹⁴⁾ II. IV. 62. — ¹⁵⁾ In tanta orationis, qua Eumenius Pan. III. c. 1 utitur, ambiguitate, difficile est ad diiudicandum, quae *moenia*, quibus urbs resurgat, sint intelligenda. At, quae subsequuntur, declarare videntur, Constantinum multa urbis aedificia vel aetate collapsa vel hostium irruptione prostrata refecisse aliaque nove et insigniter aedificasse. Maris vero num urbem circa munierit, liquido non apparet. — ¹⁶⁾ Huic sententiae, cui Ausonii (De claris urbibus v. 6) auctoritas suffragatur, non obstare Taciti locum (II. V. 77) supra demonstravimus. Confer A. Wiltb. I. I. IV. 3.

Martis porta, quam eum in usum, quem hodieque praebet, initio statim constructam esse et semicircularibus turribus utrimque ab exteriori parte proiectis et lapidibus in latere occidentali prominentibus, quibus adiectus murus inhaereret, et cataractis in portarum ingressu exteriori olim pendentibus aliisque rebus satis manifestatur. De orientalibus et australibus vero limitibus prorsus incertum erit iudicium, nisi quod ex raris magnisque spatiis intermissis quibusdam reliquiis conici possit urbem ab his partibus terminatam fuisse muro, qui paululum trans amnem et *Leonis pontem* inde a Mosella fluvio sub via iuxta fornacem calcarium et domum Grundhewerianam ducente occultatur indeque recta medios per agros humo et via delitescens in collem paulatim ab imo acclivem *S. Crucis* prope a voragine vel fossa quadam adscendit, inde vero per supercilium collis porrectus haud procul a villa domini Matthieu descendere et, superato, qui collis radicem ad boream lambit, amne per apertum campum et *Hortense arcum* domum viduae Hoewer, in qua condenda apparuit, attingens se extendisse atque paulo infra cum boreali muro se coniunxisse putatur. Sed hoc nec per se credibile est, locum iniquissimum, necessitate nulla cogente, aedificiis occupatum et urbi inunctum fuisse, et alia non pauca sunt, cur urbem unquam, vel quo tempore hominum multitudine maxime florebat, in tantum patuisse vix vixque admittam. Primum enim nondum satis compertum habemus, utrum rudera illa, ex quibus id colligi posse existimant, unius eiusdemque muri sint, an plurimorum et diversorum, tum in dubio sumus, qualis sit earundem reliquiarum structura et formatio, deinde toto hoc tractu praecipue in arvis colli subiacentibus summa est ruinarum raritas, postremo et praecipue id obstat, quod alter murus summa crassitudine factus, praedicto, ubi Mosellam attingit, inhaeret; qui murus, quum terra obrutus ultra vicum *S. Medardi* pertineat, totam eam regionem, quae ruinis reconditis frequentissima inter suburbium *S. Matthiae* et flumen interiacet, ab occidentali parte, ut prior ab septentrionali, videtur communivisse. Quae quum ita sint, mihi quidem permagnam veri speciem videtur habere urbem antiquitus etiam contra meridiem et orientem solem iisdem fere finibus, quibus hodie, vel omnino se continuisse, vel paululum tantum, imprimis, ubi ad flumen et suburbium *S. Barbarae* vergit, eos excessisse ¹⁶⁾. Attamen, quamquam veterem urbem angustiore circulo, quam vulgo opinantur, restrictam velim, cave tamen credas me hanc, quam nos incolimus, illi, quam maiores habitavere, incolarum et tectorum multitudine conferri posse arbitrari. Immo veterem hoc genere multum praevaluisse clare demonstrant et ea, quae hanc in rem de urbis frequentia supra attulimus, et plurimae aedificiorum ruinae, quae in areis et hortis intra muros sitis inexhausto terrae sinu ubique abdite latent atque quotidie fere eruuntur ¹⁷⁾.

De urbanis vicis pauca addam. *Voclanni* quidem vicum e regione urbis ad sinistram fluminis ripam positum tres eo loco inventi lapides ¹⁸⁾ quam clarissime indicant. Sed praeter eum alios quoque nominibus etiam nunc incertis citra, alterum paulo remotius ab urbe ad boream, alterum, duobus illis muris, de quibus supra demonstravimus, fortasse inclusum, ad meridiem fuisse, ex substructionibus, ruderibus, tegularum fragmentis aliisque rebus pluries ibi repertis colligamus licet. Praecipue autem subsidiis *S. Barbarae*, *S. Matthiae* et *S. Me-*

¹⁶⁾ Littoralem enim planitiam, quam nunc *S. Barbarae* suburbium occupat, vel omnem, vel maximam eius partem romanae urbi additam fuisse hoc uno argumento, ut alia taceam, evinci posse videtur, quod eum angulum, qua australis murus ad flumen spectat, ab Arnoldo II, Archiepiscopo, circa annum 1249 vel paulo post coarctatum fuisse introrsum Gesta Trevirorum c. CVIII manifesto ostendunt. — ¹⁷⁾ Viri docti, qui adhuc in urbis finium indagazione intentiore cura immorati sunt, plurimi, ut ex miranda amplitudine aliquid laudis patriae accederet, vel ad Saravi ostia muros prolatos fuisse volunt, vel, qui moderatius egerunt, ad Oleviae vallis introitum orientalem portam, supra *S. Medardi* vicum australem stetit perhibuerunt. Cuius posterioris sententiae suasor gravissimus exstitit Wilthemius (l. l. IV. 3), ad solis tamen ortum eis Amphitheatrum sed in eius vicinia terminos collocans. Honthemius (Prodr. I. pg. 50) vero, praeterquam quod meridianam portam paulo ultra pontem Leonis collocatam fuisse putat, praeterea mihi consentiens eosdem, quos ego, urbi terminos assignandos esse statuit. A quibus omnibus toto, ut aiunt, coelo dissentit Neller (De Burdicatu c. XVIII), qui ex veterum turrium vestigiis et quibusdam hortis decumanis antiquam urbem multo arctioribus terminis, quam hodiernam, inclusam fuisse opinatur. — ¹⁸⁾ Titulos eorum exhibent Lerschius (Centrafmußeum III. 4. 5. 6.) et Hetzrodt, Notices pg. 89.

dardi tum aliis rebus tum imprimis plurimis nummis et magnis testarum acervis per agros et ad flumen dispersis, quae vel fluvii amnisque campum rigantis exiguitas vel arborum cultura quotannis largiter praebent, romana origo certe vindicari potest. Terminum autem huius suburbii cis eum locum, quem *Ad Undas* vocant, positum fuisse et summa ruinarum defectio ultra praedictum finem et sepulchra per declivitatem collis adiacentis et proiecti detecta apertissime commonstrant.

Haec de urbis finibus et suburbii. Sed iis temporibus, quibus haec urbs assiduitate praesentiae et Imperatorum et summorum magistratuum dignitate et opibus summopere florebat, non modo eam ipsam, verum etiam adiacentes colles¹⁹⁾ et regionem, quae circa est, multis aedificiis publicis privatisque tantum, quantum tempora ferebant, plurifariam exornatam fuisse non erit, quod dubites. Ad eam autem aetatem antiqua opera, certe quae ad hoc usque tempus vel integra fere perduraverunt, vel quorum reliquias admiramur, ad unum omnia referenda esse quum alii iam satis certis argumentis probatum iverunt, tum ex ipsa structurae indole et ratione facile perspicitur. Omnium enim iam iudicio falsi sunt, qui nulla re, nisi ab ultima antiquitate repetita delectati hoc vel illud aedificium ad Gallicum aevum referre maluerunt, rati ad maiorum gloriam atque ad urbis laudem inde non pauca accessura. Idem scriptores, quamvis alias non spernendi, tamen de amplitudine, ornamentis opulentiaque urbis, cuius res explicandas sumserant, ambitiosius quam verius egerunt. Fraudi enim iis fuit, quod poetae et panegyristae, quorum libri pluries fere unici fontes erant, res et homines, ut in iis ornandis ingenium et eruditionem promerent, magnificis et speciosis verbis celebraverant. At vero, qui circumspicere et caute agere velit, id quod ex solis monumentis nobis reliquis cuique iam patebit, huic urbi plurima atque, quae misera illorum temporum conditio et exilis huius terrae ratio erant, satis pulchra opera infuisse libenter concedet, idem tamen omnino negabit haec magnificentissimis, pretiosissima materie extructis, mirabili opere summaque arte perfectis aedificiis esse aequiparanda, quae non dicam Romae vel in opulentissimis omniumque rerum copiis affluentibus Graeciae maritimisve civitatibus, sed in quibusdam Galliae australis urbibus exstiterunt. Ad eandem tamen laudem nostri quoque homines et magistratus summi hic degentes pro viribus aspirarunt, insigniora quaedam aedificia communem in usum publice erigentes. Qua in re legibus²⁰⁾ multum adiuvabantur, quibus constitutum, ut tertia redituum cuiusque urbis portio publicis operibus adtribueretur et, si tertia portio *metropoleos*, eam enim dignitatem Treverica urbs obtinebat²¹⁾, ad ea non sufficeret, aliae eiusdem provinciae urbes suam adicerent. Imperatores quoque pecunia subvenisse suoque aere unum alterumve opus suum praecipue in usum vel novum fecisse vel vetus collapsumque restituisse, tum per se iam liquidissime apparet, tum laudibus, quibus eam ob rem Eumenius^{21b)} Constantinum cumulat, perspicue intelligitur. Itaque, cum Romani homines ubique terrarum modis omnibus niterentur, ut Romae matris effigiem apud se in novis sedibus pro re et copiis quodammodo simularent, Treveris etiam condiderunt *theatra*²²⁾, *amphitheatrum*, *circum*²³⁾, *balneas*, *thermas*²⁴⁾, quibus tum ipsi genio indulgere

¹⁹⁾ Anson. De cl. urb. v. 5. — ²⁰⁾ Vide Ruediger. l. l. pg. 20. — ²¹⁾ Lex Valentiniana supra laudata, S. Athanas. Hist. Arian. ad Monachos, Apolog. 2 et Ep. ad sol. vitam degentes, Not. Provinciarum et Civitatum Galliae, Theodoritus II. 15. — ^{21b)} Pan. III. c. 1. — ²²⁾ Salvian. De Gub. Dei VI. 8. 15. — ²³⁾ *Circum* et *Circenses* ludos, quorum Eumen. Pan. III. 22, Salv. l. l. VI. 8. 15, S. Augustin. Confess. VIII. 6 mentionem fecerunt, ad *amphitheatrum nostrum*, (cuius nomen, ancipites Fredegarii, Aimoini, Idatii locos si exceperis, in antiquis monumentis frustra quaeres), quin referam, equidem haud sum dubius. Constat enim in foro prius vel in *circo* venationes et gladiatoria munera exhibita esse, quam ad haec spectacula edenda inde a C. Iulii Caesaris tempore Amphitheatra ex duobus theatris, omissa scena, iuncta et constructa fuerint. Hinc putem factum, ut, quemadmodum ludi a loco, ubi fiebant, circenses, ita postea etiam locus i. e. amphitheatrum a ludorum ratione aliquoties circus appellaretur. Nec vereor equidem, ne quis propterea hanc rationem improbandam censeat, quod panegyrista circum nostrum vocat *maximum*. Hoc enim genus hominum in rebus nimis valde exaggerandis mirifice sibi placet. At aliis secus visum est. Circum enim ab amphitheatro diversum in proximo colle ad meridiem positum fuisse sine certa ratione opinati sunt. Quin etiam nonnulli, ne ulla re Augusta urbs aeternae cederet, eo progressi sunt, ut miram quamdam *navmachim* in valle colli amphitheatrum versus subiecta excogitaverint. Ceterum Eutropii (X. 2.) locum, quem vulgo huc

atque consuetis voluptatibus inservire tum feroces indigenarum animos ad otium et quietem flectere ^{24b)} possent; *curiam* ²⁵⁾ praeterea, qua res urbanas publicasque et tractarent et administrarent; *basilicas* ²⁶⁾, ubi negotia sub tecto agerent, iudicia exercerent, merces venales longinquius etiam advectas ²⁷⁾ proponerent; *monetas* ²⁸⁾, in quibus nummi, quantum ex siglis in ima aversorum nummorum parte expressis videre licet, inde ab Diocletiani tempore signabantur; *horrea* ²⁹⁾ publica, quibus frumenta aliasque res imponebantur. His adde *palatia* ³⁰⁾, ad usum Imperatorum vel Caesarum vel summorum magistratuum condita, adde *templa* ³¹⁾ plurima, in quibus, antequam Christianus cultus unus polleret, et Romani et mu-

perlinere opinantur et Eum. Pan. III. 12. Incerti Pan. II. 23 auctoritate confirmatum volunt, quum plane dubium sit, quamnam ad urbem sit referendus, sciens modo omisi. Obiter dictum sit inter ludos, qui unquam hic editi sint, maxime memorabiles *Quinquennalia* esse, quae, frequentissimis legationibus undique confluentibus, Constantinus M. a. 311 omni imperii apparatu celebravit. Eum. Pan. IV. 1. 2. 13. — ²⁴⁾ Auson. Mos. V. 338. — ^{24b)} T. Agr. c. 21. — ²⁵⁾ Flav. Vopisc. in vita Floriani, Aus. Mos. 400, et Grat. Act., Salv. Mas. l. I. VI. 8, Fredegarii Chronicon IV. c. 7, Venant. Fortunat. De navigio. — ²⁶⁾ Aus. Grat. Act., Eum. Pan. III. 22. Quarum basilicarum unam et, nisi omnia me fallunt, eam, quam altitudine conspicuam *iustitiae sedem* Eumenius vocat, suffragante Kuglero (Münzblatt Nr. 57. a. 1840), Steininger (Die Ruinen am Altthor zu Trier pg. 43 sqq.) in ea aede, quod Constantini palatium nuncupant, abditam latere omnium primus egregie vidit et perspicue demonstravit. — ²⁷⁾ Aus. De cl. urb. v. 7. Arelate, maximo id temporis per Gallias emporio, multas merces Treveros fuisse importatas liquet ex testimonio, quod exstat apud Bouquetium I. pg. 98. — ²⁸⁾ Not. Dign., Inscriptio ap. Honth. pg. 188. At iam ante Diocletianum Imperatorem circa a. 260 flandi feriundique numismata munus Treveris fuisse administratum Trebellii Pollionis de Victorina locus demonstrat. Plures vero monetarias officinas vel in urbe ipsa vel in finibus Trevericis eo tempore usque ad Constantinum III (tyrannum) existisse non magis nummorum et aureorum et argenteorum et aereorum, qui hic percussi sunt, maxima atque, quod nummi aerei mixti argenteis ad plura millia prope Dalhemia castra nuperrime reperti osteuderunt, incredibilis fere multitudo, quam singulares notae vulgaribus siglis, quae supra memoravimus, inferne in monetis additae pro certo evincunt. In cuius generis additamentis longius versari nolo, hoc dixisse sufficiat ex adiectis notis arithmeticis vel *graccis* A, B vel *latinis* I, II plane liquere non unam sed duas hic fuisse officinas, tertia vero alia in Treveris constituta num litteris T T, quae in nummis obviae sunt, fuerit indicata, plures ob causas neque affirmare velim neque ausim negare. — ²⁹⁾ Aus. Mos. v. 456. Plura horrea publica hic fuisse admodum probabile fit inde, quod regio circa natura sua ad multitudinem diu alendam praesentis quidem sed non perpetuae copiae est. Ad horrea *Susceptores* species conferebant i. e. vel frumentorum varia genera, vel pro regionis natura vinum, oleum, lardum, ligna, foenum, paleam, vestes militares, ferrum, equos, aliaque huius generis, quae possessores quotannis nomine *Canonis* praestare debebant. Vid. Rüdiger. l. I. pg. 11 et 17. Horum aedificiorum unum eo loco, quo postea monasterium monialium, quarum prima antistes Irmina, Dagoberti II filia, vulgo, sed false (Honth. H. D. I. 86, Günther. Cod. Dipl. I. 7.) fuisse perhibetur, peropportune ad fluminis ripam positum fuit. Quod cognomine, quo vel coenobium *horreense*, ad *horrea*, ad *horreum*, *Orreum*, vel patrio sermone miro nominis concentu *Ußren* appellabatur, unde originem cepisset, diu manifestavit. Sed mero nomini parum sane tribuendum, nisi arcus cocto latere, muri caementicii, columnae marmoreae, fornices aliaque patrum memoria eo loco effossa opus hoc manifeste Romanum probassent. v. Wilth. l. I. IV. 3. — ³⁰⁾ Eum. Pan. III, Sulpic. Sever. II. 64, Dialog. II. 7, S. Augustin. Confess. VIII. 6, Auson. Grat. Act. §. 3, S. Ambros. ep. ad Valent. Imp. V. 27. Cuius palatii in penetralibus *consistorium* fuisse, ubi cum consistorianis Imperatores de gravioribus rebus consultabant, S. Ambrosius l. I. et Auson. (Grat. Act. §. 67) testantur; qui posterior idem conclave §. 2 sacrarium imperialis oraculi, §. 67 sedem sacrarii nominat. Exedram vel triclinium quoddam (Vitruvius VII. 4. 5) eiusdem palatii megalographia illa et argumento et arte miranda, in qua heroicæ mulieres Cupidinem cruci affigere spectabantur, exornatum fuisse admodum probabile est. Unde Ausonius sibi edyllii ad Gregorium filium argumentum sumpsit, quod edyllion Iul. Scaliger doctum, candidum, numeris non carens, denique ceteris Ausonii longe illustrius recte iudicat. — ³¹⁾ Eumen. Pan. III. 22. Notus omnibus Romanus mos, quo receptum, ut partim numinibus, in quorum peculiari tutela terrae devictae erant, propitiandis partim incolis, quos subegerant, melius pacandis suam cuique civitati religionem integram fere esse sinerent, sed, peculiariibus appellationibus abolitis, deos ex Romana interpretatione consuetis Romanis nominibus nove plerumque appellarent. Quare et Mercurio, et, quos post eum a Gallis maxime cultos fuisse Caesar (VI. 17) ostendit, Apollini, Marti, Iovi, Minervae plurimos et maximos honores in Treveris habitos fuisse ego plane sentio. Atque ita sentienti arae, inscriptiones et sigilla aerea ex huius terrae abditis eruta pro testimoniis adsunt. Quin etiam patriis inscriptionibus (de quibus de Florencourt, vir et studiis et amicitia mihi coniunctissimus, in commentationibus, quae inscribuntur Beiträge zur Kunde alter Götterverehrung in Gallien et Der Vicus Belgicum am Stumpfen Thurm, Jhrb. des Vereins zc. III. copiose et erudite egit) demonstratum est aliis planeque indigenis deis, ut Rosmertae, Eponae, Sironae, Caproni sua sacra fuisse servata; itemque, quod

tatis vel servatis nominibus indigenae dei colebantur. Fabricae quoque hic exstiterunt *scutariae et ballistariae* ³²⁾, ubi praeter scuta et ballistas etiam clipei, catapultae aliaque militaria arma et machinae videntur facta fuisse; *Gynaecia* ³³⁾, in quibus textrices maxime principum vestes conficiebant; officina *Barbaricorum* ³⁴⁾, qui ad Phrygicum modum pretiosissima intextis figuris vestimenta faciebant, *thesauri* ³⁵⁾ denique, ad quos vectigalia et tributa conferebant. Fuerunt etiam, qui neque *forum* ³⁶⁾ neque *capitolium*, neque *campum Martis*, neque *arcus* ³⁷⁾ fornicesve superbas huic alteri Romae defuisse contenderent.

Ex tot tantisque operibus vel temporum longinquitate, vel iteratis hostium irruptionibus, vel intestinorum bellorum saevitia pleraque partim funditus sunt deleta, partim superingestis ruinis terrae latebris abscondita, perpauca tantum et ea maximam partem lacera atque deformia oculis nostris fruenda relicta. Ad varias has clades, quibus tam multa perierunt, hominum aviditatem, barbariem, incuriam adicite, quae tantae fuerunt, ut eorum, quae perduraverant, alia alios in usus contumeliosissime abiicerent, alia aliorum peregre exportari vel iuberent vel sinerent. Sic Carolus M., quum Aquisgrani palatium regium vel antiquum restaurare vel novum aedificare ibidemque templum magnificentissimum condere in animo haberet, ut aliunde, ita etiam Treveris multum marmor plurimumque mussivum, quibus ea aedificia exornaret, advehenda curavit ³⁸⁾. Pari modo Ioannes I, archiepiscopus, tum ex antiquis monumentis exemtos lapides et tegulas, quae facile adhuc internoscere possumus, urbem circummuniens muro inspersit, tum patribus Himerodiensibus, ut ex muris veteribus domum et mansiones in vinea aedificarent, amphitheatrum destruendum concessit. Neque

Lerschius diligenter ostendit (366. des Bergins ꝛc. II. pg. 131), Matribus sive Matronis, qui a locis, quibus colebantur, cognomina plerumque invenerunt. Attamen quot templa quibusve deis dedicata hac in urbe exstiterint, inopia testium parum liquet. Galba quidem nescio quis et *Iovis* ingentem statuam e pretioso marmore scutellam auream duorum pedum latitudinis tenentem, et ferream *Mercurii* imaginem magnetum duorum vi in aere pendentem, hic fuisse memoriae prodidisse fertur. Utrumque vero nugatorium esse et ab homine in mirandis rebus proferendis iactabundo fictum ipse facile intelliges. At, libris et tabulis veterum memoriarum adstipulantibus, de *Apollinis* templo constantior fama est, quod coniunctum cum Caesarum palatio, ubi postea abbatia S. Maximini, situm perhibetur. Quam opinionem columnarum statuarumque fragmina, et permulta molaribus grandiora bene polita saxa, quae suo tempore ibi in lucem protracta scribit Browerus, quodammodo tuentur. Nostra quoque memoria, quum equestris circi condendi causa humum perscrutarentur, plures lapides quadrati vario anaglyphorum genere utrumque haud absurde exornati, ibidem, sed paululum remotius orientem versus sunt inventi. Sacella etiam in circumiacentibus collibus excitata fuisse ex nominibus Martis vel Apollinis olim his collibus impositis conici posse nonnullis placuit. Quibus equidem accedere dubitem vel propterea, quod iisdem montibus etiam alias easque, ut videtur, veriores inhaesisse appellationes satis constat. — ³²⁾ Not. Dign. — ³³⁾ Ibidem. Inscriptio apud Wilt. I. I. c. 2. et Brower. I. pg. 251. — ³⁴⁾ Not. Dign. — ³⁵⁾ Ibidem. Ad thesauros illatum est aurum et argentum quotannis ex tributis rediens, ita quidem, ut, si Rüdigerio I. I. pg. 17 sq. fides habenda, solidi aurei a possessoribus collati, non numerati, sed in obryzam i. e. in unam massam igne probe coctam conflati ad Serinia (Sacrarum Largitionum) transmittendi essent. — ³⁶⁾ *Forum* Trevericum, quod Eumen. Pan. III. 22 et Auson. Grat. Act. diserte nominant, in latere vel orientali vel occidentali basilicae nostrae situm fuisse non solum ideo affirmare posse videor, quod Vitruvius basilicas foro adiunctas constitui oportere declarat, sed etiam quod uterque scriptor, quos testes Treverici fori modo adhibuimus, forum et basilicam, nihilo alio interposito, quasi iuxta collocata recensent. — De *capitolio* et *campo*, cum patrii scriptores nullo indubitato testimonio freti varia vel opinantes vel comminiscentes perperam et frustra de incertis inter se digladiantur, dubium et ambiguum erit iudicium. Quamquam paulo certius est, quod de *campo* accepimus. Namque ex eo, quod veteres Treverici libri templum S. Paulino dedicatum in *campo* conditum consentiunt, cum ante Martis portam situm fuisse colligi potest. Verum, num ab eo loco orientem versus ad colles usque pertinuerit, an, quae Al. Wilthemii (I. I. IV. 4) sententia est, ei, quod agri inter urbem et coenobia S. Maximi et D. Virginis ad Martyres est, adtribuendum sit, plane incompertum habemus. — ³⁷⁾ Arcum in triumpho Valentiniani Imperatoris et Gratiani filii memoriam de Germanis Augustae Treverorum acti constitutum fuisse nonnulli absque certo auctore memorant. Cuius fornices vestigia in quadrangula Romanae artis mole, arcu latericio occasum versus patente, ad ipsum Mosellae litus inter D. Barbarae suburbium et urbis moenia olim sita Browerus et Ortelius (Thes. Geogr.) idoneo autem testimonio minus subnixi deprehendisse sibi visi sunt. Namque Al. Wilthemius (I. I. IV. 5) ex fornacularum serie, pavimentis tessellatis, tubis parietibus inclusis, suspensuris aliisque rebus suo tempore reiectis thermas neque fornices eam molem quondam fuisse ostendit; quam sententiam ex parte Ausonii (Mos. 337) verba confirmant. — ³⁸⁾ Gesta Trevirorum c. 40, Freherus in notis ad Auson. Mos. v. 480. Honthem. Prodr. I. pg. 48.

aliter duas antiquas tures, quae prope S. Barbarae portam exstabant, patres societatis Iesu, senatu et Archiepiscopo conniventibus, diruerunt indeque fundamentis novarum scholarum iacendis materiem sumserunt. Quid? quod patres Abbatiae S. Maximini Petro Ernesto Comiti de Mansfeld, quo ei, qui regis nomine terrae Luciliburgensi praeerat, gratificarentur, ad sexcentos litteratos et anaglypticos lapides dono misisse dicuntur. Qui post Comitis mortem omnes, paucis exceptis, quos haeredes nescio quo avexerunt, ex amplis hortis, quibus decori fuerant, simul cum aliis, quos antiquitatis amantissimus dominus ibi collegerat, paulatim erepti et in muros atque aedificia aversi sunt. Quod utinam reliqui tres vel quatuor inscriptionum, statuarum, ararum veterum thesauri, qui quondam Treveris in Collegiata S. Paulini et Abbatia S. Maximini, Luxemburgi in Collegio patrum societatis Iesu conspiciebantur, ab interitu fuissent vindicati³⁹⁾. Sed interciderunt cuncti et pro dolor! funditus, priores quidem cum ipsis aedificiis, in quibus custodiebantur, funestissimo illo bello, quod anno MDCLXXIV maximum damnum et huic terrae et huic urbi apportavit, posterior vel ignorantia vel contemptu eorum ipsorum, quorum profecto erat, quae tanta diligentia coacervata hereditate acceperant, pie et sedulo servare. Namque quaecumque Alexander Wilthemius, vir, si quis alius, de Treverica antiquitate immortaliter meritus, Wilhelmo, fratre in studii societatem adhibito, summa cura conquisiverat, Luxemburgi in Collegio, cui ipse adscriptus erat, ordine disposuerat et in singulari libro accurate et uberrime explicaverat, ea, quum vix a vita discessisset, disiecta, fracta et in fundamenta cuiusdam aedificii depressa sunt. Quonam autem fato factum dicam, ut duae maxime praecipuae, quae in Treveris celebrabantur, romanorum nummorum collectiones, quarum una, quod catalogi adhuc reliqui extrema pagina ostendit, iam anno 1614 ad Domum S. Petri, altera in Abbatia S. Maximini erat, nobis sint in perpetuum amissae et perditae? Bellis sine superioris saeculi commotis altera Mogontiacum, altera alium in locum, ut putabant, in tutum perlata, sed neutrum depositum unquam est redditum. Neque servata est huic terrae antiquorum nummorum maxima copia, quos Hermannus Comes de Blankenheim sine saeculi XVI studiose collegerat, collectos perite disponendos et in tabulis, quae adhuc in manibus sunt, consignandos curaverat. Unaque cum iis egregia illa monumenta, quibus tempore Wilthemii et multis annis post idem Comes et domum et hortos suos instruxerat, omnia fere interierunt. Quodsi ad plurimas illas iacturas eam addideris, quam maximam fecimus, quum Gallica procella pristinum Trevericum statum prosterneret, haud erit profecto, quod mireris antiquarium nostrum, quamvis inter nostrates non pauci viri doctrina et patriarum rerum studio insignes modis omnibus eniterentur, ut ea, quae ab Romana aetate et nomen et pretium invenerunt, conquirerent et conservarent, tamen museis, quae Bonnae, Mogontiaci et Aquis Mattiacis constituta sunt, etiamsi non omni genere, at monumentorum et inscriptionum praestantia fere cedere. Sed iam ad finem, quem et ipsi nobismet imposuimus, et huius scriptionis conditio nobis constituit, pervenimus. Namque percensitis Romanae aetatis monumentis, quae non iam in Treveris superant, ad ea, quae tempora tulere, delati sumus. De his vero, locus si quando datus erit, pro viribus agemus.

³⁹⁾ Honthem. Prodr. I. pg. 181.